BIBLIOTECA NAZ^LE
110
B
18
NAPOLI

110
B
18

115 C 19

Digitized by Google

IANI PANNONII

OPUSCULORUM

PARS ALTERA,

in qua exhibentur.

Pauca quaedam e Plutarcho et Demoſthene in Latinum eodem interprete tranſlata; nec non orationes ejus et epiſtolae quae reperiri potuerunt omnes; quibus Appendicis loco ſubjunguntur auctoris vitae a variis conſignatae, una cum dedicationibus, praefationibus, teſtimoniis et elogiis doctorum de Iano Pannonio virorum; ac denique varietates lectionum e manu ſcripto libro et diverſis editionibus excerptae.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

B. R. NEAPOLIS

TRAIECTI AD RHENUM,
Apud BARTHOL. WILD, Bibliop.
M. DCC. LXXXIV.

Digitized by Google

Plutarchi Chaeronei philoſophi libellus, ad Cornelium Pulchrum; Quibus modis ab inimicis juvari poſſimus. Ioanne Pannonio interprete.

Video equidem te, Corneli Pulcher, tranquilliſſimum procul a re publica vivendi morem delegiſſe: In quo cum publice proſis quam plurimis, privatim te ipſum ab omni ſollicitudine vacuum adeuntibus exhibes. Sed quoniam regionem quidem beſtiarum expertem (ut de Creta ſcribitur,) licet invenire; civilis autem vita, quae nec invidiam attulerit, nec aemulationem contentionemve, feraciſſimas inimicitiarum perturbationes, extitit adhuc nulla; verum ſi nil aliud, amicitiae tamen inimicitiis nos implicant; (quod cum et Chilon ille ſapiens intelligeret, quendam, qui ſe neminem inimicum habere jactitabat, rogavit, an,

ne amicum quidem haberet?) exiſtimo, eum demum civilem virum fore, qui cum alioquin omne hoc de inimicitiis negotium percalluerit, tum etiam Xenophontem audierit, nequaquam ab re commonentem, prudentis eſſe, vel ab inimicis juvari. Quae igitur de hac ipſa re nuper forte diſſerui, ea tibi nunc in unum collecta, iisdem ferme nominibus transmiſi; peperci autem quoad ejus fieri potuit, maxime iis, quae civilibus praeceptis noſtris continentur; quando et illud volumen frequenter prae manibus te habere conſpicio.

Satis habebant vetuſtisſimi, ſi ab immanibus et feris animantibus non laederentur; nec alius tum erat finis decertandi adverſus beſtias. Poſteriores vero, quoniam iis uti jam didicerunt, ab eisdem etiam juvantur, dum ex carnibus cibum, ex pilis amictum, ex bile et coagulis medicamenta, ex pellibus arma ſibi conficiunt; ut extimeſcendum ſit, ne, ſi ferae deſint homini, ferina plane fiat ejus vita, et inops et agreſtis. Cum igitur ſatis ſit aliis ſi ab inimicis non laedantur, prudentium autem eſſe dicat Xenophon, vel a disſidentibus juvari; diffidere quidem non debemus, ſed veſtigare ingresſum et artem, qua id commodius conſequantur,

qui

qui ſine inimico vivere non posſunt. Non poteſt omnem arborem emanſvefacere agricola, nec omnem beſtiam perdomare venator; quaeſierunt ergo et aliam utendi viam, qua tam hic ex infructuoſis, quam ille ex indomitis, utilitatem perciperet. Maris aqua inſvavis potu eſt et mala, verum piſces alit, et navigatur pasſim, ac mercimoniorum veluti vehiculum eſt. Satyro etiam, cum is vellet ignem tunc primum inventum deoſculari et amplecti, ait Prometheus: Flebis tu quidem o Capribarbe; urit hic tangentem, ceterum lumen praebet et calfacit, ac inſtrumento eſt in artificiis omnibus, ſi quis eo recte utatur. Conſidera porro jam et inimicum, an, quanquam eſt ceteris in rebus noxius et intractabilis, tangi tamen ſe quodammodo ſinat, ac uſum ſui praebeat familiarem et modum. Multae ſunt res haud ſatis jucundae, quin odioſae potius in ipſas incidentibus et adverſariae; vides tamen et morbos corporum quibusdam vacationem a negotiis peperisſe, alios valentiores et exercitatiores evaſisſe ex nimiis laboribus. Nonnulli vero et exilium et pecuniarum jacturam pro viatico habuerunt requietis ac philoſophiae, ut Diogenes et Crates; Zenon autem cum navigium ſibi confractum

accepiſſet, Bene agis, inquit, Fortuna, quae nos in tribonem impingis. Nam quemadmodum robuſtiore et ſalubriore ſtomacho animantes, comeſos ſerpentes et ſcorpiones digerunt; ſunt etiam quae lapidibus et teſtulis veſcuntur, quas tamen ob firmitudinem et caloris vim facile conficiunt; morboſi vero et langvidi, panem et vinum, quoties apponitur, cum nauſea repellunt: ita ſtulti, et amicitias corrumpunt, ſapientes et inimicitiis uti posſunt concinne. Iam primum arbitror, id quod eſt in inimicitiis nocentisſimum, ſi quis diligentius animadvertat, fieri poſſe utilisſimum. Sed quidnam eſt iſtud? Inſidiatur ſemper negotiis tuis vigilans inimicus, ac anſam quaeritans, vitam tuam omni ex parte circuit; nec per quercum modo aut lapides et teſtas inſpicit ut Lynceus, verum etiam per amicum et ſervum ac familiarem quemlibet explorat, quantum poteſt, quid agas, pertundit et rimatur quid conſultes. Amicorum quippe ſaepenumero et valetudines, et mortes per cesſationem vel incuriam nos fugiunt; at inimicorum tantum non et in ſomniis diſquirendis curioſisſimi ſumus. Porro aegrotationes et debita et lites uxoriae, illis ipſis ignotiores ſunt quam inimico. Prae-

ci-

cipue vero delicta conſectatur et perveſtigat; ac uti vultures tabidorum corporum odore trahuntur, quod ſi qua ſunt ſincera et ſana, eorum ſenſum non habent; ſic, quae in vita aegrotant, ac vitioſa ſunt, et perturbata, iis excitatur inimicus, ad ea omnes odiis accenſi provolant, ea prehenſant et diſcerpunt. Hoccine igitur eſt utile? Ita profecto, ſi cautius et conſideratius vivas, nec agas dicaſve quicquam temere ac parum circumſpecte, ſed vitam velut in exactiſſima regula perpetuo conſerves, nulli prorſus calumniae obnoxiam. Nam quae ita pravos appetitus aſtringit, et continet rationem cautio, ſtudium ac propoſitum ingenerat probe et irreprehenſe vivendi. Quippe ut finitimis bellis et aſſiduis expeditionibus caſtigatae civitates, ſalutarem optimarum legum et rei publicae curam impenſius amplectuntur; ita qui ſunt inimicitiis quibusdam compulſi ut ſobrie vivant, inertiam temperent, deſpiciant neminem, nihil non ſumma cum frugalitate adminiſtrent; ipſa conſvetudine ad nunquam peccandum ſenſim deducuntur, et moribus fiunt ornatiores, ſi paullulum etiam ratio ſuffragetur. Nam illud,

Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridae,

quibus eſt ſemper in promtu; retorquet ac divertit et amovet ab ejusmodi rebus, quae inimicis gaudio ſunt et deriſui. Atqui Bacchanaliorum magiſtros, videmus quam ſint disſoluti et ſocordes, quam etiam remisſe per ſe ipſos in theatris ſaepius decertent; quibus tamen ſi contentio et certamen inſurgat adverſum alios, non modo ſe, verum etiam inſtrumenta ſua muſica vehementius ad meliora convertunt, chordas legendo, et accuratius aptando ac perſonando. Quare, quisquis adverſarium vitae et gloriae ſuae novit inimicum; is animadvertit magis, conſultius res gerit, et mores concinnat; quando et hoc pravitatis eſt proprium, ut plus nos inimicorum pudeat quam amicorum, quoties delinquimus. Proinde Naſica ille, exiſtimantibus et dictitantibus quibusdam, in tuto rem Romanam collocatam, quoniam Carthagienſes deleti, Achaei vero in ſervitutem redacti esſent: Nunc nimirum, inquit, in periculo ſumus, quoniam quos metuamus vereamurve, reliquos nobis fecimus jam nullos. Accipe et illam Diogenis longe philoſophicam et civilem ſententiam: Quomodo ulciſcar inimicum? Si ipſe melior et honeſtior fias. Qui equos caneſve inimicorum laudari cernunt,

nunt, anguntur; ſi fundum cultiorem, hortulum floridiorem asſpexerint, ingemiſcunt; quid igitur putas facturos, ſi te ipſum oſtenderis virum, juſtitia, integritate, probitate praeſtantem, in diſciplinis ſpectatum, in negotiis ſincerum, in victu mundum,

Fructus metentem divitis prudentiae,

Mens unde rectis alma conſiliis viget?

Succumbentes, (Pindarus inquit,) viri, ſilentio praepediuntur, non ſimpliciter, nec omnes, ſed illi demum, qui ſe inimicis ſuccumbere vident diligentia, probitate, magnitudine animi, humanitate, meritis. Haec, ut ait Demoſthenes, lingvam coërcent, os praecludunt, ſtrangulant, obticeſcere faciunt. Tu modo abſis ab improbis, potes, ſi libet, inimicum afficere triſtitia. Ne voca cinaedum, aut mollem, aut impudicum, aut ſcurram, aut illiberalem; ſed ipſe vir eſto, moderationem cole, ac veridicentiam, facilem et aequum te convenientibus praebe. Quodſi ad invectiones fueris prolapſus, quae in illo carpſeris, ab iis te ipſum quam longisſime dimoveas. Inſere penitus mentem, ſi quid labefactum eſt circumſpice, ne quis tibi ſucclamet illud tragicum:

 Aliis

Aliis medetur, ipſe plenus ulcerum.

Sin autem inimicus tibi detrahit, ſi te dicat ineruditum; erige in te ipſo cupiditatem diſcendi, et induſtriam; ſi timidum; fortitudinem et fiduciam magis exſuſcita; ſi libidinoſum et incontinentem; dele ex animo, ſi quod ſubeſt, voluptatis veſtigium. Nam turpius et gravius nihil eſt, quam recurrens convicium. Repercusſa lux videtur acrius conturbare imbecillos asſpectus. Idem et in vituperationibus accidit, quae in ipſos vituperantes ſerio reflectuntur. Quippe ut nubila Caecias ventus, ita et vita nequior in ſe attrahit contumelias. Plato quidem quoties deforme aliquid agentibus interfuisſet, abiens ſecum dicere ſolebat: Numquid ego ſum hujusmodi? Verum qui alterius vitam arguit, ſi ſtatim contempletur ſuam, ac transformatam emendet, et vertat in contrarium; adipiſcetur aliquid utilitatis ex maledicentia, quae alioquin esſe videtur, et eſt, res improba et inanis. Ridet ſane multitudo, ſi quis calvus aut gibboſus aliis calvitium gibbumque exprobret. Eſt autem omnino ridiculum, mordere quenquam, cum remorderi posſis itidem; Veluti Leon Byzantius a gibboſo quodam, propter oculorum infir-

mi-

mitatem, objurgatus: Humanum, inquit, morbum objicis, cum in tergo geſtes ultionem. Quapropter nec adultero maledixeris, ſi ipſe puerorum amoribus inſanias, nec prodigo, cum ſis ipſe illiberalis.

Habes propinquam caede pollutam viri,

Alcmaeon inquit in Adraſtum. Quid ergo ille? Non alienum ſed proprium ei protulit dedecus:

Cares parente, manibus occiſa tuis.

In Crasſum Domitius: Quid tu, non muraenam, quam in vivario nutricabas, defunctam luxiſti? At ille: Nonne tu tribus uxoribus elatis, ne lacrymulam quidem effudiſti? Qui conviciaturus eſt, eum non ingenuum esſe oportet, nec clamoſum nec procacem, ſed ab omni opprobrio et crimine remotum. Siquidem nemini aeque ac dicturo in alium praecipere videtur deus: Cognoſce te ipſum; ne, qui loquuntur quae volunt, audiant quae non volunt.

Nam temere lingvam quisquis effrenat, cupit
Invitus ipſe audire, quae dixit libens,

ut ait Sophocles. Quare hoc quidem utilitatis in reprehendendo inimico asſequemur. Verum non minus nobis erit

fruc-

fructuoſum, ſi ipſi ab eo reprehendamur. Recte igitur Antiſthenes, eos demum ſalvos futuros cenſuit, qui vel amicos ſinceros, vel acres inimicos habuisſent, cum illorum admonitionibus, horum maledictis peccantes corrigantur. Sed quoniam in praeſentia, amicitia in libere loquendo erauciit, at eſt ad asſentandum garrula, ad commonefaciendum muta; neceſſe eſt, ut ab inimicis veritatem audiamus. Quippe ut Telephus neminem ex ſuis medicum nactus, hoſtili ferro plagam ſubmiſit; ita quibus deeſt monitrix benevolentia, iis ſuſtinendus eſt ſermo malevolentis inimici; ut ſi pravitatem redarguat, et caſtiget, rem ipſam conſiderent, non obloquentis propoſitum. Nam quemadmodum is, qui Thesſalum Promethea interficere cogitarat, vomicam gladio percusſit et ſecuit, adeo ut disſolverit vitium, et homo fuerit incolumitati reſtitutus; ita ſaepius per iram aut inimicitias, objecta contumelia malum animi curavit, quod vel ignoratum erat vel neglectum. At imperiti quoties male audiunt, non intuentur utrum ineſt ipſis quod dicitur, ſed quid aliud inſit maledicenti; nec detergent probra itidem ut luctantes pulverem, verum coinquinant ſe

invi-

invicem, deinde mutuo collapſu volutantur et collinuntur. Oportet vero eum, qui ab inimico mordetur, inhaerentem ſibi notam auferre, magis quam maculam quae veſtimento impresſa ſit et demonſtretur. Quodſi quis ea loquatur quae minime inſunt; quaerere tamen debemus quanam ex cauſa procedat convicium, ſimul cavere ac vereri, ne quid in nobis, ei quod objicitur proximum aut ſimile commisſum deliteſcat. Sicuti Lacydae Argivorum regi, comae cujusdam compoſitio et incesſus delicatior, laſciviae criminationem afferebat. Idem pasſus eſt Pompejus propterea, quod uno digito caput ſcalpurire conſveverat, homo ab omni effeminatione et impudicitia longe alienus. Crasſus autem culpam ſubiit, tanquam cum una ex Veſtalibus rem haberet, quod agellum quendam mirae pulchritudinis ab ea mercari cupiens, frequentius ipſam ſeorſum alloquebatur et colebat. Poſtumiam vero criminabatur promtior riſus, et virorum appellatio confidentior, adeo ut poſtularetur inceſtus. Inventa quidem innocens, Spurius tamen Minucius pontifex maximus, cum eam abſolvisſet, ſubmonuit, ne inhoneſtius fabularetur quam viveret. Pauſanias etiam Themiſtocli proditio-

ditionis ſuſpicionem appendit, eo quod is ſe utebatur familiariter, ac literis et nuntiis crebrioribus compellabat. Quamobrem quoties aliquid dicetur minus verum, non, quia falſum ſit, ideo erit tibi contemnendum et parviſaciendum; ſed diſpicere debebis, quidnam eorum, quae loquaris ac geras, quibus ſtudium impendas, quaeve penes te habeas; ſimilitudinem calumniae praebuerit; tum id ipſum evitare ac fugere. Nam ſi quidam per improvidentiam in moleſtias conjecti edocentur quid ſit utile, veluti Merope dicit:

Fors me magiſtra rebus heu carisſimis
Mercede ſumptis, ſapere tandem compulit,

quid prohibet gratuitum praeceptorem capere inimicum, cujus opera proficiamus, et ad cujuſpiam occultae nobis rei notitiam perducamur? Multa quippe inimicus quam amicus perſentit magis; quoniam amans circa amatum obcaecatur, ut auctor eſt Plato. At odio, cum curioſitate etiam loquacitas ineſt. Hieroni a quodam ex inimicis exprobratum fuit, animam foetere. Is ubi domum venit, ad uxorem: Quid ais (inquit) aut cur tu me hoc celaſti? At illa cum esſet modeſta et minime malitioſa mulier, Putavi (reſpondit) omnes itidem

dem olere viros. Sic et ſenſibus occurrentes et corporales et perſpicuas mendas, quilibet, inimicis prius denuntiantibus reſciſcit quam amicis, et necesſitudine conjunctis. Praeterea lingvae continentiam, quae non parva virtutis eſt pars, ſedatam et rationi ſemper audientem habere nemo poteſt, niſi etiam pesſimos affectus, qualis eſt ira, per asſvetudinem et meditationem et induſtriam praevenerit. Nam ut contra voluntatem interdum vox effugiat, ut nefas ore excidat, ut inexercitatis praecipue animis, perinde ac lubricantibus et perfluentibus, fortuita quaedam evolent verba, id proficiſcitur ex imbecillitate animi, ex morum petulantia per uſum audaciae conflata. Sermo autem res tenuisſima, ſolet mox gravisſime, ſecundum divi Platonis ſententiam, tam a diis multari quam ab hominibus. Contra taciturnitas, cum omnibus in locis, non ſiti ſolum, ut inquit Hippocrates, vacat, ſed etiam reatu omni; tum eſt inter contumelias quiddam ſublime ac Socraticum, vel potius Herculeum. Siquidem et ille,

Curabat voces quantum nec muſca malignas.

Nec vero hac in re praeſtantisſimum et pulcherrimum exi-

ſtit

ſtit inimici cavillationibus non moveri, dum ceu ſcopulum praetervehimur convicìantem; verum longe majus eſt ipſa exercitatio. Si mordentem inimicum ſilentio ferre asſveveris; facillime feres uxoris impetum objurgantis; amicum fratremve aſperius in te loquentem audies ſine turbulentia; parentum etiam plagas et verbera placide et aequanimiter excipies. Socrates quidem tolerabat Xanthippen, iracundam prorſus ac difficilem feminam, exiſtimans, ſe, nunquam non facilitatem cum aliis ſervaturum, ſi eam asſvesſet. Multo autem eſt ſatius, ſi per adverſariorum et alienorum importunitates, iras, morſus et maledicta praeſtructus, animum ita inſtituas, ut cum incesſaris, in quiete perſtes, et ad indignationem non prorumpas. Manſvetudinem igitur et patientiam hoc modo inimicis licet oſtendere; ſimplicitatem vero et magnificentiam et bonitatem magis in amicis. Quippe amico non tam benefacere pulchrum dicitur, quam id non facere turpe, cum indiget. At inimico et poenam remittere, quoties tempus exigit, bonum et aequum. Quodſi quis aut caſum inimici cum miſeratione proſequatur, aut egeſtati ſubveniat, liberiſve ipſius et rebus domeſticis ſtudium ac ſeduli-

tatem quandam exhibeat; ejus lenitatem qui non diligit, nec probitatem admiratur, illi robur et aes triplex circa pectus ineſt. Caeſari, cum is dejectas Pompeji triumphales ſtatuas reſtitui jusſisſet, Pompeji (Cicero inquit) ſtatuas erexiſti, tuas vero fixiſti. Vnde laudandum etiam et honorandum inimicum cenſeo, cum jure gloriam promeruit; quod qui faciunt, plus ipſi laudis conſequuntur; ſimul fidem habent, quoties contra obtrectant, quaſi non hominem oderint, ſed actum non probent. Tum quod pulcherrimum et utilisſimum eſt, quisquis inimicos laudare asſveſcet, nec torqueri et velut in faſcinum ſolvi ob laetiores eorum fortunas; is certe amicorum ſuccesſibus et necesſariorum recte ſactis nunquam invidebit. Ceterum quaenam exercitatio plus confert animis, melioremve in iis habitum procreat, quam quae malarum aemulationum et livoris cupiditatem excludit? Nempe ut in caſtris vel in civitatibus permulta necesſaria verum alioquin prava, quoniam moris et legis vim asſumſerunt, antiquari non facile posſunt, quamvis noceant; ſic inimicitiae, dum cum odio invidiam, cum inſultatione zelum ſimul introducunt, tandem in mentibus relinquunt ſimultatem; Ad hoc

verſutiae et fraudes et inſidiae, quae adverſus inimicum nequaquam mala et iniqua eſſe creduntur, ſi inhaeſerint, emoveri vix queunt unquam; quibus qui erga inimicos uti non caverint, utentur poſtea per conſvetudinem in amicos. Quocirca ſi recte Pythagoras, ut nos in brutis ad ſaevitiae et aviditatis abſtinentiam formaret, et aucupes deteſtabatur, et jactus piſcium emptitans, dimitti capturam jubebat, et omnium cicurum nece interdixit; multo ſane praeclarius eſt, ſi quis in hominum disſidiis et contentionibus, generoſum, juſtum et veracem ſeſe praeſtet inimicum; turpes et illiberales et doloſos appetitus caſtiget, ac ſubigat, quo in amicorum commerciis, omni penitus inquietudine et improbitate abſtineat. Erat Scaurus Domitio inimicus et accuſator; venit forte ad eum, prius quam judicium fieret, Domitii ſervus, quaſi arcani quippiam nuntiaturus. At ille non ſivit eloqui, ſed comprehenſum hominem remiſit ad dominum. Catonem vero, cum is Muraenam ambitus arcesſeret, et argumenta colligeret; ex more asſectabantur nonnulli, obſervantes quid moliretur. Subinde ſaepenumero percunctabantur, an esſet eo die quicquam acturus? ſi negasſet, ſide habita diſcedebant.

bant. Quare ſunt quidem haec, ejus viri gloriae monumenta maxima; illud tamen majus et plane praeſtantisſimum, ut, cum juſtitia vel erga inimicos uti asſveverimus; familiares et amicos nunquam vafre, nunquam injuſte adoriamur. Verum quoniam inesſe corydalis omnibus criſtam necesſe eſt, ſecundum Simonidem; at omnis natura humana ſecum affert contentionem et aemulationem et invidiam et protervorum (ut ait Pindarus,) hominum commercia; non mediocre caperet emolumentum, ſi quis ſe adverſus inimicos hujuſcemodi perturbationibus exoneraret, easdem a familiaribus et necesſariis veluti rivos quam longisſime averteret. Vidisſe hoc videtur civilis profecto vir nomine Onomademus, qui cum Chii victricium partium turbae interesſet, ſvadebat ſuis, non omnes adverſae factionis ejiciendos, ſed relinquendos quosdam; ne, inquit, ſi inimici defuerint, cum amicis ſeditionem ineamus. Proinde ſi et a nobis animorum motus adverſum inimicos praeconſumantur, minus erunt amicis infeſti. Quippe haud figulo figulum, cantori cantorem invidere oportet, ut meminit Heſiodus, nec vicino aemulari aut conſobrino aut fratri; cum is ad divitias feſtinet et commodis potiatur.

Sed ſi nulla datur alia via, per quam lites et invidiae et certamina depellantur; asſveſce tandem in proſperis inimicorum minime exaſperari et pungi, contentionis aciem illis imprime. Nam lepidi agricolae, roſas et violas, putant a ſe reddi meliores, alliis et cepis juxta plantatis; quia quicquid ſolo ineſt acerbi et putidi, totum eo derivatur. Sic et inimicus placidiores et tranquilliores nos praeſtabit ſecundis amicorum rebus, dum malignitatem ac invidiam noſtram ipſe ſuſcipit et emitigat. Ideo et certandum cum inimicis eſt pro gloria vel imperio vel juſtis quaeſtibus; ita ut non ſollicitemur modo ſi qua in re ſint nobis ſuperiores, verum etiam omnia obſervemus, ex quibus ſunt ſuperiores; tum eos cura, induſtria, moderatione, conſilio, nitamur anteire; quemadmodum Themiſtocles ſomnum ſibi adimere Marathoniam Miltiadis victoriam dicebat. Nam qui felicitate ſe ab inimico vinci exiſtimat in magiſtratibus aut cauſis agendis, aut re publica adminiſtranda, vel apud amicos et imperatores; deinde ab elaborando in faſcinum prorſus et moeſtitiam demergitur; otioſam et inefficacem paſcit invidiam. Qui vero non excaecatur circa id, cui eſt infenſus, ſed fit et vitae et

mo-

morum et verborum et operum aequus ſpectator; deprehendet eorum plurima, quorum zelo ipſe commovetur, ex diligentia et providentia et recte factis comparari, tum ad ea mentem intendens excolet in ſe amplitudinis et ſplendoris expetitionem, oſcitationem autem et deſidiam eradicabit. Quod ſi qua videbimus inimicos, adulando, fallendo, deferendo, operam locando, in aulis vel civitatibus, indecora et minime liberali potentia frui; ea nobis non erit moleſtiae ſed potius gaudio, cum noſtram ipſi libertatem et innocentiam oppoſuerimus. Quia omne quicquid ſupra terram ſub terrave eſt auri, aeque pretioſum non eſt ac virtus, ſecundum Platonem. Illud etiam Solonis par eſt habere ſemper in promtu:

Nos virtutem opibus non permutabimus unquam,

nec vociferationibus contaminabimur ineptientium theatrorum, nec honoribus cujusquam aemulabimur et potentatibus, apud eunuchos vel pellices vel Satrapas regum. Nam aemulabile nec honeſtum ex turpi naſcitur. Sed caecum eſt, ut inquit Plato, id quod amat, circa id quod amatur, at ſenſatiores nos faciunt inimicorum foeda facta. Verum nec

laetari debemus ignaviter cum delinquunt; nec dolere cum officio perfunguntur, ſed anniti exemplo amborum, ut illa cavendo meliores eis ſimus, haec imitando haud deteriores.

Plutarchi Chaeronei philoſophi libellus De negotioſitate, Ioanne Pannonio interprete.

Praefocatam vel obſcuram vel frigidam vel inſalubrem domum fugere, fortasſis optimum eſt. Quodſi quis ob conſvetudinem, loci amore teneatur, poteſt eidem, facta luminarium graduumve transpoſitione, ſimul januis quibusdam apertis, quibusdam contra obturatis, lumen, auram et ſalubritatem adjicere. Nec defuerunt qui civitatibus etiam nonnullis per hujus generis inverſionem profuerunt; quemadmodum patriam meam, cum ea zephyro prius vento edita, nitentem veſperi ſolem a Parnaſo exciperet; ferunt ad orientem, Chaeronis opera fuisſe converſam. Phyſicus autem ille Empedocles, quibusdam montis faucibus, quae gravem et tabificum in campos auſtrum afflabant, occluſis, peſtem a ſe-

a regione viſus eſt excluſiſſe. Proinde quoniam ſunt quaedam perturbationes morbiferae et noxiae, quae hyemem animo et tenebras afferunt; exturbare quidem eas et demoliri eſt optimum; quo ſerenitatem et lumen et ſpiritum puriorem nobiſmet ipſis praebeamus; ſin minus, at mutare ſaltem et invertere, alio quodam circumductu aut flexura. Quale protinus eſt negotioſitas, libido videlicet aliena mala pernoſcendi; morbus nec invidiae plane expers, nec improbitatis. Quid tam ſagaces, peſſime, alienum in malum defigis oculos? proprium non inſpicis? transfer ab exterioribus et retorque ad interiora curioſitatem. Si tibi voluptati eſt malorum hiſtoriam pertractare, habes domi converſationem amplisſimam,

Quam multae in quercu frondes, in Alizone lymphae,

tantam tu vim invenies delictorum in vita, perturbationum in animo, praetermisſionum in officiis. Nempe, ut Xenophon inquit, apud rerum familiarium peritum, peculiarem esſe ad ſacra pertinentibus vaſis locum, peculiarem rurſus ad epulas; alibi jacere ruſtica, ſeparatim bellica; ſic tibi partim invidiae, partim aemulationis, partim timiditatis,

partim anguſtiae, repoſita ſunt mala; ea percurrito, ea recenſeto. Negotioſitatis feneſtras et tranſitus in res vicinorum obſtrue; rurſum alios reclude, qui in andronem tuum ferunt, qui in gynaeconem, qui in diverſorium familiare; Hic inquiſitio iſta et curioſitas habet commorandi locum non inutilem nec improbum ſed fructuoſum et ſalutarem, quoli-bet ad ſeipſum dicente:

Qua ſum verſatus, quidve egi, vel quid omiſi?

Nunc autem, ut in fabula narrant, Lamiam domi quidem canere caecam, oculis in vaſculo quodam ſitis; eosdem foras progresſam reſumere ac videre; ita ſinguli noſtrum in externos et alienos malignitati, negotioſitatem tanquam oculum affigunt; noſtris vero peccatis et vitiis per ignorationem ſaepenumero confliċtamur, intuitum et lumen ad ea minime porrigentes. Vnde etiam inimicis conducibilior eſt curioſus; quippe qui facta eorum arguit et profert, ac indicat eis quae cavenda ſunt et corrigenda; domeſticas autem res, magna ex parte negligit ob ſolicitudinem extranearum. Vlixes certe ne matrem quidem prius alloqui ſuſtinuit, quam ea ex vate perciperet, quorum gratia deſcenderet ad infe-

ros;

roſ; quibus ſedulo perceptis, non ad ipſam modo ſe convertit, verum et reliquas praeterea mulieres recognovit, quaenam esſet Tyro? quae pulchra illa Chloris? cur Epicaſte occidisſet,

Dum nodum informis leti trabe nectit ab alta?

Nos rebus noſtris deſidiae prorſus et obliterationi mandatis et neglectis, aliorum proſapias numeramus; avum vicini fuisſe Syrum, aviam Thresſam; illum debere ter talentum, uſuras necdum reddidisſe; diſcutimus et quaedam hujusmodi: Vnde uxor illius redibat; quid illi ſecum in angulo confabulabantur? At Socrates circuibat rogitans, quibus verbis Pythagoras ſvaſitasſet. Ariſtippus etiam in Olympiis congresſus cum Iſchomacho percontabatur, qua disſertatione Socrates ita ſpectatores ſuos afficeret; Nec niſi exiguis quibusdam ſermonum ejus ſeminibus et indiciis acceptis, tanto deſiderio exarſit, ut corpore concideret ac pallore omnino et macie contabeſceret; donec delatus navigio Athenas, ſitibundus et aeſtuans hauſit fontem, ac virum ipſum et praecepta ejus et philoſophiam perſpexit, cujus erat finis, agnoſcere mala ſua et liberari. Ceterum nonnulli vitam propri-

am, velut injucundisſimum ſpectaculum, asſpicere non ſuſtinent, nec ratione ad ſeipſos quaſi lumen reflectere, et circumagere. Sed animus variis malis refertus, horrore et metu internorum, proſilit foras, ac divagatur circa res alienas, paſcens improbitatem ſuam et incrasſans. Nam ut gallina ſaepe cibo palam propoſito, in angulum penitus condita ſcalpurit,

Hordeolum ſi forte fimo ſe prodat opertum,

itidem negotioſi, medios ſermones et hiſtorias transgresſi, ac ſi qua nec vetat exquiri quisquam, nec ſi exquiras, moleſte fert; ea quae occultantur et latent mala, omni ex domo colligunt. Lepide nimirum vir Aegyptius, interroganti, quidnam ferret contectum? Ideo inquit velatum eſt ut ignoretur. Tu item cur id rimaris quod celatur? niſi malum esſet, haud celaretur. Atqui non pulſatis foribus alienam domum ingredi lex prohibet; quanquam nunc quidem ſint janitores, olim autem concusſa in oſtiis rhoptra ſenſum praebebant, ne quis alienus matrem familias in propatulo deprehenderet, aut virginem; aut ſervum dum caſtigatur, aut clamantes ancillas. Curioſus vero his ipſis ſeſe inferit, modeſtam

ſtam plane et compoſitam domum ne invitante quidem ullo viſere libenter ſolitus; quorum autem gratia eſt clavis et vectis et veſtibulum, ea revelans et aliis in medium profe- rens. Enimvero et ventorum iis maxime offendimur, ut in- quit Ariſton, qui amictus nobis ſubrigunt; At negotioſus non veſtimenta proximorum, nec tunicas, ſed parietes rete- git, feneſtras pandit, teneram virginem penetrat, ut ven- tus; comesſationibus et choris et pervigiliis irrepit, exami- nando cuncta et criminando. Sicuti ejus, qui carpitur in comoedia, Cleonis erat in Clopidis mens, aſt in Aetolis manus; ita curioſi mens eodem momento eſt in aedibus divi- tum, in caſis pauperum, in aulis regum, in thalamis novo- rum conjugum. Vniverſas explorat res tam peregrinorum quam principum; quanquam has quidem haud ſine periculo. Sed ut ſi quis aconitum guſtet qualitatem ejus ſcire cupiens, ſenſionem ipſam, nece praeſentientis anteveniat; ſic et qui ſuperiorum mala ſcrutantur, ante notitiam ſe ipſos diſper- dunt. Siquidem qui hoc immenſum et late diffuſum ſolis ju- bar deſpiciunt, ipſum autem circulum impudentius obtueri ac lucem penitus haurire contendunt et audent, oculis ca-

piun-

piuntur. Recte igitur Philippides comoediarum poëta, cui cum aliquando rex Lyſimachus dixisſet: Quid vis tibi meorum impertiam? Quidlibet, inquit, o rex, arcanis tantum exceptis. Nam jucundisſimae regum et pulcherrimae res foris profiſtunt, convivia, opes, concilia, largitiones. Quod ſi quid eſt ſecreti, ne adeas, neve commoveas. Non abſconditur laetitia regis in ſuccesſu, nec riſus in luſu, nec humanitatis gratiaeve apparatus; formidoloſa eſt latitatio, vultus triſtitia, riſus abſtinentia, difficultas adeundi, clandeſtinae cujuſpiam irae theſaurus, aut poenae gravioris imaginatio, aut zelus uxoris, aut in filium ſuſpicio, aut diffidentia in amicum. Fuge nigricantem hanc et condenſam nubem,

Non te latebit ejus tonitru et fulgur,

Cum eruperit quicquid nunc eſt in abdito.

Quaenam igitur eſt fuga? Reflexio, ut dictum eſt, et contractio negotioſitatis, praeſertim ſi ad meliora et jucundiora vertas animum. Ea contemplare quae in coelo ſunt, quae in terra, quae in aëre, quae in mari; puſillarumne an magnarum rerum ſpectatorem te esſe ingenitum ſit? Si magnarum, ſolem conſidera, quo deſcendit, unde asſcendit. Quaere

cas

eas quae in luna fiunt tanquam in homine mutationes; quo tantum lumen abſumſit, unde iterum reſumſit,

> Ut tenera primum veniat incerto ex loco,
> Vultum decorans, et non novum cornu replens,
> Mox ore poſtquam fulſit illuſtrisſimo,
> Dilapſa rurſus perdat extinctas faces.

Sunt quidem haec naturae ſecreta, ſed non ſuccenſent argumentantibus. Verum majora deſperas? Intende minoribus, quo pacto plantarum quaedam ſemper germinant et virent et exultant, nunquam non ſuam oſtentantes opulentiam; quaedam nunc idem faciunt quod ſuperiores, nunc ut malus diſpenſator, omni ſimul facultate profuſa, nudae et mendicae deſeruntur. Praeterea cur aliae oblongos, aliae angulosos, aliae teretes et orbiculatos edunt fructus? Fortasſis autem iſta non inveſtigabis, quia nihil habent mali. Quodſi omnino jam necesſe eſt curioſitatem in vitioſis quibusdam, uti reptile in mortifera materia, paſci ſemper et commorari; ad hiſtorias ipſam traducamus, ac malorum ei copiam et abundantiam exhibeamus. Nam illic inſunt caſus virorum, projectiones vitarum, corruptelae mulierum, inſidiae ſervorum,

tum, calumniae amicorum, veneficia, invidiae, aemulationes, naufragia domorum, exilia ducum; Exple et oblecta teipſum ſine cujusquam conviventium vexatione et moleſtia. Sed videtur negotioſitas non gaudere veteribus malis, verum calidis et recentibus; ac novas quidem tragoedias libenter ſpectare, comicis autem et hilarioribus negotiis haudquaquam promto animo interesſe. Quare ſi quis de nuptiis, aut ſacrificio, aut pompa loquatur; negligens et ſegnis auditor eſt curioſus; ac plurima dudum ſe jam intellexisſe dictitans hortatur narrantem, uti ea circumcidat et praetereat. Sin aliquis ex asſidentibus, vel ſtuprum virginis, vel adulterium mulieris, vel poenae praeparationem, vel ſeditionem fratrum commemoret; nec dormitat, nec eſt occupatus,

Cetera quin etiam ſcitatur et applicat aures.

Ac illud: Heu quam rebus triſtia laetis,

Magis humanas penetrant aures,

in negotioſos revera eſt dictum. Quia ut cucurbitae pesſimam ex carne partem ſugunt, ita curioſorum aures, nequisſimos ſermones adnotant; vel potius, ut civitates habent

por-

portas quasdam nefaſtas et triſtes, per quas mortuos efferunt, ac elotiones et purgamenta ejiciunt, purum autem ſacrumve nec ingreditur quicquam per eas, nec egreditur; ſic aures ipſas negotioſorum, nihil frugi, nihil urbanum, ſed funeſtae ſermocinationes, expianda et ſceleſta fabulamenta ſemper afferentes, tranſeunt et terunt,

Solus meis qui ſemper in tectis canat,
Incubuit ater luctus. - - -

Haec eſt curioſis Muſa et Siren unica, hoc auditu longe jucundisſimum. Nam eſt negotioſitas propenſa quaedam eorum quae in abſcondito ſunt et latent, disquiſitio. Nemo autem bonum nactus abſcondit, quando et ea quae non habent, habere ſe multi ſimulant. Curioſus ergo malorum hiſtoriam appetens, ea perturbatione diſtinetur, quae malum gaudium dicitur, invidiae et faſcinationis germana. Siquidem invidia eſt dolor ex alienis bonis; malum gaudium voluptas ex alienis malis. Quae ambo ex immanſveta et ferina perturbatione proficiſcuntur, ſcilicet malignitate. Eſt vero cuilibet adeo moleſta ſuorum malorum nudatio, ut interire multi maluerint quam aliquid ſecretioris morbi medicis oſtendere;

dere. Age ſingamus Herophilum vel Eraſiſtratum vel Aſclepium ipſum, cum erat mortalis, venenis et armis ſuis inſtructum conſiſtere ante domum et rogare; Numquis habeat fiſtulam circa membrum genitale, aut mulier cancrum in vulva? Licet ſalutaris ſit hujus artis curioſitas, neminem tamen esſe arbitror, qui hujuscemodi hominem non abigeret; eo quod non expectata necesſitate, invocatus, ad alienorum malorum ſpeculationem accedit. At negotioſi haec ipſa, immo his etiam pejora disquirunt, non curandi gratia, ſed tantum retegendi; quapropter jure odio habentur. Quippe publicanos graviter et aegre ferimus, non cum manifeſtas merces excerpunt, ſed cum abdita reſupinantes, in alienis vaſis et ſarcinis volutantur. Atqui hoc eis facere lex concedit, ac detrimento ipſis eſt cum non faciunt. Curioſi vero perdunt et omittunt ſua, dum in alienis occupantur; ac rus quidem raro vadunt, quietem et ſilentium ſolitudinis ferre nequeuntes. Si quando tamen forte ierint, vicinorum magis vites inſpiciunt quam proprias percunctantur; et quot vicinus boves amiſerit, quantumve ei vini acidum ſit factum, brevi ſubinde his ſatiati avolant. Nam verus ille agricola,

ne

ne ultro quidem ex urbe venientem fabulam libenter accipit inquiens:

> Deinde nobis ſarriens dices ſcelus,
> Quo fracta pacto ſit reconciliatio,
> Ea profecto nunc oberrat gratia.

Negotioſi autem ruſticationem ipſam, veluti obſoletum quoddam et frigidum et minime tragicum fugitantes negotium, in lucem hominum et fora et portus prorumpunt. Num quid eſt novi? annon fuiſti mane in foro? quid tum? intra horas tres credis immutatam esſe civitatem? Quod ſi quis tale aliquid dicendum habeat, digresſus confeſtim ex equo, prehenſa dextra et oſculo dato, conſiſtens auſcultat. Sin occurrens quiſpiam, nihil esſe novi reſpondeat, tanquam indignatus, Quid ais, inquit, Non fuiſti in foro? non praetorium tranſiſti? Nec eos qui ex Italia veniunt forte conveniſti? Recte igitur locorum magiſtratus eum multarunt, qui peregre adveniens, numquid foret novi? rogavisſet. Nam ut coci pecorum, ut piſcatores copiam optant piſcium; ita curioſi copiam optant malorum ac novitates et mutationes, ut ſemper aliquid habeant quod venentur et caedant. Belle

 ſane

ſane et Thurinorum legiſlator; qui notari a comicis cives vetuit, praeterquam adulteros et negotioſos. Videtur quippe et adulteratio, curioſitas quaedam esſe alienae voluptatis, ac perquiſitio et inveſtigatio eorum quae asſervantur et ignota ſunt vulgo; negotioſitas item disſolutio quaedam eſt et corruptela et denudatio ſecretorum. Ac multarum quidem rerum ſcientiae ſaepe comes eſt multiloquentia. Idcirco et Pythagoras juvenibus quinquennale ſilentium indixit, quam ἐχεμυθίαν id eſt fabulandi cohibitionem appellavit. At curioſitatem maleloquentia necesſario conſectatur; quia quae libenter audiunt, libenter eloquuntur; item quae ab aliis cum ſtudio colligunt, ad alios cum laetitia efferunt. Vnde etiam inter cetera mala, deſiderio eorum, impedimento eſt ipſe morbus; quippe quos, omnes cavent et fugiunt; ac nec agere quicquam vidente negotioſo, nec loqui eodem audiente, gratum habent; verum et conſultationes differunt, et rerum deliberationes intermittunt, dum ſcilicet hujuſcemodi homo procul abſcedat. Immo ſi, dum aut ſermo quiſpiam arcanus, aut negotium ſerium agitur, homo curioſus appareat, tanquam tranſcurſum a fele obſonium, tollunt

ſta-

ſtatim e medio, et recondunt; quo fit, ut multa quae ceteris ſcire et videre licet, his ſolis nec ſcire liceat nec videre. Ideo nec fidei quicquam habet negotioſus. Servis quippe et externis potius credimus epiſtolas et ſcripta et annulos, quam amicis et familiaribus curioſis. At Bellerophontes ille, ne in ſe quidem ſcriptas ferens literas disſolvit, ſed abſtinuit epiſtola regis ſicuti uxore, pari et eadem continentia; quia tam negotioſum esſe quam adulterum, incontinentiae eſt, ac ultra incontinentiam gravis dementiae et vecordiae. Nam cum tot communes et publicatas mulieres praeterieris, ad ſeclusam et pretioſam irrumpere, nonnunquam etiam ſi ita caſus ferat deformem, ſumma inſania et deſipientia eſt. Hoc autem ipſum faciunt curioſi, qui plurima et pulcherrima, viſu et auditu digna, praeterea ſcholas et diatribas praetergresſi; alienas literulas pertundunt, vicinorum parietibus aures admovent, cum ſervis et mulieribus ſuſurrant, ſaepius quidem haud ſine periculo, cum ignominia vero ſemper. Quocirca et remedium negotioſis quam maximum eſt, rerum praecognitarum recordatio. Quoniam ſi, ut ajebat Simonides, cum duo intervallatim aperiret ſcriniola, ſumtuarium qui-

quidem ſemper plenum, munerarium contra ſaepe vacuum ſibi reperiri; eodem inquam modo, ſi quis curioſitatis cellam, intervallatim aperiret, ac multis inutilibus et variis et inſuavibus refertam animadverteret, forſitan id ei factum conferret, injucundum prorſus et nugale viſum. Age vero, ſi quiſpiam percurſis veterum ſcriptis, ea quae in his pesſima ſunt, exciplat, ac librum conficiat, ut ex Homeri verſibus acephalis, aut ex tragicis ſoloeciſmis, aut ex his, quae Archilochus ſeipſum notans, adverſus mulieres indecenter et obſcene protulit, hic inquam nonne eſt tragica illa execratione dignus:

Humana pereas colligis quisquis mala, ?

Tum praeter execrationem ipſam, nonne foeda et inutilis eſt iſta ejus alienorum delictorum congeries? oppido illi perſimilis, quod ex pesſimis et ſceleratisſimis hominibus conſtitutum, Philippus auctor πονηρόπολιν id eſt improborum urbem nominavit. Negotioſi ergo, qui non verſuum, nec poëmatum, ſed vitarum errata et crimina et ſoloeciſmos relegunt et coadunant, abſurdisſimam et illepidisſimam malorum capſulam circumferunt, memoriam videlicet ſuam. Igitur

tur

Digitized by Google

tur ut Romae quidam picturas et ſtatuas, et medius fidius venalium puerorum et mulierum formas floccipendentes, in prodigiorum foro verſantur, eos qui tibiis carent, vel ſi qui catinis cubitis, tribuſve oculis aut pasſerinis capitibus praediti ſunt, reviſentes, ac magnae felicitatis loco ducentes, ſi quam commixtam ſpeciem et luſtrale aliquod monſtrum natura ediderit; quos tamen ſi quis hujuscemodi ſpectaculis frequentius inducat, brevi eis ſatietatem et nauſeam res ipſa praebebit. Sic qui vitarum errata et proſapiarum deformitates et diſtorſiones in domibus alienis, et peccata rimantur; priora ſibi reducant in mentem, quod ſcilicet nec gratiam ea ullam nec fructum attulerunt. Plurimum quippe ad avertendam perturbationem hanc prodeſt conſvetudo, ſi a longinquo incipientes, exerceamus et condoceſaciamus noſmet ipſos ad eam continentiam. Nam et incrementum conſvetudo fecit, morbo ipſo gradatim progrediente ulterius. Sed jam de exercitationis modo disſerere experiemur. Primum igitur a minutisſimis et levisſimis inchoemus. Nam quae difficultas eſt in viis ſepulcrorum inſcriptiones non perlegere? aut quae moleſtia in deambulacris parietibus illitas literas oculo trans-

 mit-

mittere, ſi nobismet ipſis ſubjiciamus, nec utile quicquam nec delectabile in iis esſe deſcriptum, ſed illum illius feliciter meminisſe, aut hunc esſe amicorum numerum, ac multa hujusceemodi nugis referta, quae videntur quidem nihil nocere, ſi perlegantur, nocent tamen clanculum, quoniam ad ea inquirenda conſveſaciunt, quae ad nos nihil pertinent. Ac ut venatores non ſinunt catulos depravari, nec perſequi quemvis odorem; ſed copulis ipſos retrahunt et ſuccutiunt, purum eis et merum ſenſum reſervantes, ut inhaereant veſtigiis,

Nare indagantes miſerarum ſigna ferarum,

ſic iſtos curioſitatis ad quidlibet inſpiciendum et audiendum excurſus, et oberrationes, praecidere et reprimere oportet, quo, ad meliora reſerventur. Nam ut aquilae et leones, inter ambulandum retorquent intro ungves, ne vim eorum et aciem obtundant; ſic nos negotioſitatem, ſummam habere docilitatis vim et aciem exiſtimantes, in pesſimis eam rebus ne conſumamus. Secundo deinde loco asſveſcamus, cum alienam januam praeterimus, non introſpicere, nec per curioſitatem, ea quae intrinſecus ſunt, oculo tanquam delibare.

Sed

Sed illud Xenocratis habeamus in promtu; qui negabat quicquam intereſſe, pedeſne an oculi alienam in domum ponerentur; quia nec juſtum nec honeſtum, immo nec jucundum eſt tale ſpectaculum.

Nam foeda viſu ſunt tibi, hoſpes, intima.

Cum domeſticae res magna ex parte nil aliud prae ſe ferant, quam temere fuſam ſupellectilem et ſedentes ancillulas, ad haec praeclarum nihil nec delectabile. Ad iſta contorquens animum inſpectatio et velut adjaculatio turpitudinem habet, et prava eſt hujuſcemodi conſvetudo. Diogenes quidem curru introeuntem conſpicatus Olympionicen Dioxippum, aque muliere formoſa pompam ſpeculante, avellere oculos nequeuntem, ſed ſuſpectantem et ſe reflectentem; Videtis, inquit, athletam a puella ſtrangulari? At negotioſos cernere eſt, ab omni pariter ſpectaculo ſtrangulari, et circumagi, quoties conſvetudo et exercitatio affuerit, asſpectu ipſo pasſim diſcurrente. Oportet autem, meo judicio, ſenſum ipſum, non ut fugitivam ancillam extrinſecus verſari, ſed cum emisſus fuerit ab animo, ad res perſpiciendas, perſpicere eas celeriter, et renuntiare; tum rurſus pulchre ſe in-

tra rationem recipere ac ei obtemperare. At nunc evenit illud Sophoclis,

Porro Aenianis hominis infrenes equi
Vi conciti feruntur.

Minus inquam recte inſtituti et exculti ſenſus, procurrendo et erumpendo, ſaepe in quae non debent, mentem dejiciunt. Vnde illud quidem falſum eſt, Democritum ultro ſibi oculos extinxisſe, ignitum ſpeculum enixius intuendo, et reverberationem ejus admittendo, ne turbas ei facerent animum extra frequentius evocantes; verum ſinerent ipſum intus cuſtodiam agere, ac rebus intellectualibus vacare, more feneſtrarum in vias ſpectantium obſtructi. Illud quippe multo verius eſt, parum eos ſenſum agitare, qui cogitatione plurimum utantur. Nempe et Muſarum delubra quam longisſime ab urbibus veteres ſtatuere, noctem etiam εὐφρόνην a bene ſapiendo nuncuparunt, vehementer ad eorum quae requirerentur inventionem et conſiderationem conferre rati quietem et otium. Sed nec illud durum et difficile eſt, cum homines in foro ſibi vicisſim conviciantur, et maledicunt; non accedere; aut concurſu ad aliquid plurium facto, permanere in ſes-

ſio-

ſione, vel ſi continere te nequeas, conſurgere et abire. Nam boni quidem nihil adipiſceris ſi te negotioſis immiſceas; juvaberis autem non mediocriter, ſi curioſitatem vi averſam et mutilatam rationi parere asſveſacias; Exin magis intendendo exercitationi, recte ſe res habebit, ſi feſtivi cujuspiam actus ſpectaculum praetereas; amicos ad ſaltatorem comoedumve aliquem viſendum invitantes ſummoveas; vociferatione in ſtadio aut hippodromo exorta non convertaris. Nam ut Socrates admonebat, eos cibos et potiones caveri debere, quae non eſurientes ad eſum, non ſitientes ad potum impellerent; ita et nos oportet ab earum rerum viſu et auditu cavere et fugere, quae detinent et alliciunt nil indigentes. Cyrus quidem inſpicere Pantheam noluit; ſed dicente Araſpa dignam viſu mulieris ſpeciem esſe; Tanto, inquit, magis ab ipſa temperandum eſt; quia ſi tuo perſvaſu ad eam nunc accederem, fortasſis vel occupatum me, ipſa rurſum induceret, ut ſe viſerem et juxta ſederem, multis quae maturanda esſent, omisſis. Similiter nec Alexander ad uxorem Darii videndam procesſit, quanquam ferebatur esſe pulcherrima; verum cum ad matrem ejus jam vetulam itaret,

ipſam quae tam aetate, quam forma florebat, asſpicere non ſuſtinuit. At nos, cum lecticis mulierum, oculos injicimus, ac de feneſtris pendemus, peccare nobis nihil videmur, quod tam lubricam et pasſim fluxam negotioſitatem efficimus. Equidem et ad juſtitiam confert, juſtum interdum lucrum transſcendere, ut quam longisſime ab injuſtis abesſe conſveſcas; Confert item ad temperantiam abſtinere interdum uxore propria, ne unquam alienam concupiſcas. Eandem etiam conſvetudinem induces curioſitati, ut ex propriis quaedam audire et videre aliquando ſuperſedeas. Si quis de rebus domeſticis nuntiare quippiam velit, differas; verba quae de te esſe dicta videantur, repudies. Nam Oedipodem ſummis malis negotioſitas involvit; quia dum ſe quaerit quaſi non Corinthius foret ſed externus, occurrit Lajo, quo caeſo, et matre in regno uxore, accepta, cum videretur beatus esſe, iterum ſemetipſum quaerebat, ac dehortante uxore, magis etiam increpitabat conſcium ſenem, omnem adhibens vim. Poſtremo, cum jam res ipſa eum ad ſuſpectionem perduceret, ac ſenex ita exclamavisſet:

Nunc heu! propinquat eloqui, quod me piget,

nihilo-

nihilominus nimia concitatione ſuſpenſus et ſe diſcrucians reſpondet;

Audire item me; ſed opus audire eſt tamen.

Adeo dulcem quandam habet amaritudinem, nec inhiberi poteſt curioſitatis titillatio; veluti ulcus, quod dum ſcalpitur recrudeſcit. Liber autem ab hoc morbo quiſpiam factus, et natura mitiore praeditus, ignorata aliqua moleſta re, diceret nimirum illud:

O triſtium alma oblivio, quantum ſapis!

Quamobrem et ad illa conſveſcendum nobis eſt; epiſtolam acceptam ſtatim et feſtinate ne ſolvamus, ut imperiti faciunt, qui, ſi manus cunctentur, dentibus vincula erodunt. Sicunde nuntius adveniat, ne accurramus, neve exurgamus. Si quis ex familiaribus dicat; novi quiddam tibi referendum habeo; Vtinam potius frugi aliquid aut utile haberes! Cum ego aliquando Romae diſputarem, Ruſticus ille, quem poſtea Domitianus occidit gloriae hominis invidia permotus, forte audiebat. Interim miles praeteriens, epiſtolam ei Caeſaris reddidit. Silentio et intermisſione facta uti perlegeret epiſtolam, nequaquam voluit; nec prius eam ſolvit, quam

ego

ego ſermonem perficerem et audientium coetus disſolveretur; qua in re omnes admirati ſunt viri gravitatem. Cum autem quiſpiam, licitis nutriens negotioſitatem, robuſtam et vehementem effecerit; non amplius eam ex conſvetudine ſe ad vetita efferentem, facile poteſt coërcere. Sed amicorum iſti ſolvunt epiſtolas, confesſibus ſecretis ſeipſos ingerunt, ſacra quae inſpicere nefas eſt, inſpiciunt, loca inaccesſa perambulant, negotiorum et ſermonum regalium fiunt ſcrutatores. Atqui tyrannos, quibus necesſe eſt ſcire univerſa, nihil tam inviſos facit, quam genus illud hominum, qui auricularii et delatores dicuntur. Auricularios primus habuit Darius junior, cum ſibi ipſi diffideret, ac omnes ſuſpectos haberet et vereretur. Delatores Dionyſiorum cura Syracuſanis immiscuit; unde rebus innovatis primos eos Syracuſani comprehendentes, fuſtibus necaverunt. Nam et ſycophantarum genus ex curioſorum clasſe et contubernio eſt. Verum ſycophantae quidem rimantur, ſi quis aut meditatus eſt aut egit malum; negotioſi autem, etiamſi quid minus conſulto erratum eſt, arguunt et produnt. Ferunt et aliterium ex curioſitate primo esſe nominatum; quia fame, ut apparet,

apud

apud Athenienſes ingenti exorta, cum locupletes annonam in medium non producerent, ſed clam et noctu intra domos molerent, circumeuntes quidam obſervabant ſtrepitus molarum; inde aliteriorum, hoc eſt, quaſi molariorum appellationem ſunt nacti. Pari de cauſa et ſycophantae manavit vocabulum; quia cum vetitum esſet ficus exportare, denuntiatores et indices exportantium dicti ſunt Sycophantae. Igitur ne hoc quidem inutile conſideratu eſt negotioſis, ut erubeſcant, odioſisſimis et moleſtisſimis hominibus ſimili ſe et cognato ſtudio applicari.

Oratio Demoſthenis contra regem Philippum. Ioanne Pannonio interprete.

Argumentum orationis.

Cum Philippus percriminatus esſet Athenienſes, et bellum indixisſet; Demoſthenes non jam uti bellum ſuſcipiant, ſvadet, quia neceſſe eſt; ſed uti bono animo ſint adverſus periculum, oſtendens ſuperabilem esſe Macedona. Quam ego potisſimum orationem ideo tranſtuli, quia oppido convenire viſa eſt praeſentibus Chriſtianorum rebus contra Turcam.

ORATIO.

Quod quidem, viri Athenienſes, Philippus non pacem fecit vobiſcum, ſed diſtulit bellum; omnibus vobis ſatis innotuit. Nam Pharſaliis Halum tradidit, res Phocenſium pro arbitrio diſpoſuit. Thraciam devaſtavit omnem, cauſis, quae nullae erant, confictis, ac injuſtis occaſionibus adinventis; re quidem ipſa olim bellum gerit adverſus civitatem; verbis autem nunc demum fatetur per epiſtolam quam miſit. Quod vero nec perhorreſcenda nobis eſt illius potentia, nec

tamen

tamen ignaviter eſſe occurrendum, ſed et corporibus, et pecuniis, et navibus, ac ut ſimpliciter dicam, omnibus, nulli prorſus rei parcendo, bellum capesſendum, ego docere tentabo. Primum ſane puto, viri Athenienſes, deos maximos nobis fore ſocios et adjutores, quibus ille ſpretis, fidem ac jusjurandum transgresſus, pacem injurioſe disſolvit. Deinde quibus ex rebus antea capiebat incrementum, iactans continue quosdam, et magno ſe pollicens futurum bono, jam ea omnia prodierunt in lucem. Cognoſcitur a Perinthiis et Byzantiis ac ſociis eorum; quod eodem modo ſe aggredi cupit, quo nuper Olynthios. Non ignoratur a Theſſalis; quod non tam dux, quam dominus ſociorum eſſe proponit. Suſpectus eſt Thebanis, quod Nicaeam praeſidio tenet; quod in Amphictyoniam irrepſit, quod legationes ad ſe de Peloponneſo ductitat, ac eorum ſocietates intercipit. Quo fit ut ex iis, quibus modo amicis utebatur, nonnulli nunc adverſus eum bella gerant infeſtisſima; quidam non ita jam parati ſint auxilia miniſtrare, omnes ſuſpectum habeant et incuſent. Ceterum ne illud quidem parum eſt, qui per Aſiam conſtituti ſunt Satrapae, peregrinis nuper ſtipendiariis im-

immiſſis, prohibuere expugnari Perinthum. Nunc autem conflatis inter eos inimicitiis, ac periculo propinquante, ſi capiatur Byzantium, non ſolum ipſi alacriter bellum una gerent, verum et regem Perſarum pecuniam nobis ſuppeditare hortabuntur, qui tantas poſſidet opes, quantas ne omnes quidem reliqui; tantum autem valet ad noſtratia haec negotia, ut et pridem, quando cum Lacedaemoniis diſſidebamus, utris adhaereret, eos faceret alteris ſuperiores. Nunc etiam nobis adjunctus, facile debellabit copias Philippi. Quae cum ſint talia, non adjiciam, quod hac cauſa pacis, multa praeripuit nobis loca et portus, et alia hujusmodi bello utilia. Video quippe, quod cum res benevolentia haerent, ac eadem omnibus conducunt qui bellorum participes ſunt; quicquid conſtitutum eſt, ſtabile manet. At cum per inſidias et ambitionem, dolo ac malitia continentur, ut ab iſto nunc; parva occaſio et quodlibet erratum, brevi omnia diſcuſſit et ſolvit. Ac ſaepenumero mecum reputans comperio, non ſolum, viri Athenienſes, ſociorum res, Philippo ad ſuſpicionem et malevolentiam declinare; ſed nec regni quidem ſui negotia recte ac ſatis familiariter eſſe compoſita,

nec

nec ita, ut cujuſpiam ferret opinio. Ad ſummam, Macedonica potentia in additamenti quidem parte habet aliquid momenti et utilitatis; verum ipſa per ſe imbecilla eſt, ac pro tanta rerum oſtentatione facile contemptibilis; quam inſuper ipſe, bellis et expeditionibus, ac omnibus iis, quibus a nonnullis magni aeſtimatur, reddidit ſibi magis fallacem. Nec putetis, viri Athenienſes, eisdem rebus gaudere illos; (*) ſecuritatem ipſe eam ſine periculis adipiſci non poteſt. Illi nihil indigent, relictis domi liberis, parentibus, uxoribus, contabeſcere et quotidie periclitari pro ipſo. Quibus ex rebus perſpici poteſt, quo ſit erga Philippum affectu Macedonum multitudo. Sane qui ei asſiſtunt familiares et externorum militum duces, eos invenietis gloria quidem virtutis claros esſe, verum formidoloſius vivere ingloriis, quia illis ab hoſtibus duntaxat imminet discrimen; hi vero, asſentatores et delatores amplius timent quam praelia. Illi cum

(*) Hic aliquid excidit, quod apud Demoſthenem ſic habet: ἀλλ᾽ ἐννοεῖσθε, ὡς ὁ μὲν ἐπιθυμεῖ δόξης· οἱ δὲ ἀσφαλείας· h. e. *ſed illud conſiderate, gloriam illum, hos ſecuritatem deſiderare.*

cum omnibus ſimul contra adverſarios decertant; his et bellicarum aerumnarum non parva ſubeunda pars eſt, ac inſuper mores regis privatim metuendi. Praeterea, cum quis e vulgo deliquerit, pro merito culpae multatur; hi, cum maxime officio functi ſunt, tum maxime cruciantur et indignis afficiuntur contumeliis. Ac his quidem nemo non, qui modo aliquid ſapit, adhibet fidem. Nam ipſum tanta ambitione praeditum, omnes qui cum eo verſati ſunt, affirmant, ut omnia praeclara opera, ſua velit videri, ac moleſtius ferat, ſi quis imperatorum ducumve, aliquid laude dignum ediderit, quam ſi omnino rem gesſerit infeliciter. Quo igitur pacto, ſi quidem haec ita ſe habent, multo jam a tempore tam fideliter ei adhaerent? Quia, viri Athenienſes, proſpera ejus, quavis in re, fortuna, omnibus his tenebras obtendit. Nam ſucceſſus, ad tegenda et obumbranda hominum peccata, idonei ſunt; ſin aliqua forte in re fuerit lapſus, tum plane omnia haec revelabuntur. Ita quippe accidit quemadmodum in corporibus noſtris, cum quis recte valet, nil ſentit per ſingula membra debilitatus; ubi languerit, omnia moventur, ſive fractura, ſive tortura, ſive aliud quippiam

fue-

fuerit non perfecte validum: ita et regnorum et omnium principatuum, quamdiu in rebus bellicis proſpere agunt, vulgo latent mala; ſin fecerint ruinam, (quod huic in praeſentiarum par eſt evenire, majorem ſuis viribus ſarcinam attollenti,) omnia omnibus dura patent. Quod ſi quis veſtrum, viri Athenienſes, fortunatum videns Philippum, terribilem et non facile expugnabilem exiſtimat; moderati quidem viri utitur providentia. Nam omnibus hominum in rebus plurimum momenti habet, vel potius omnino dominatur fortuna; multis tamen modis non minus noſtram, quam illius quis eligeret felicitatem. Quippe et a majoribus noſtris multo ante ducatum accepimus, quam non modo hic, ſed ut breviter dicam, omnes qui unquam in Macedonia regnaverunt. Omnino illi quidem Athenienſibus tributa pendebant; noſtra autem civitas, nemini adhuc omnium mortalium. Ad hoc, tanto plures, quam ille, occaſiones habemus ad deorum benevolentiam comparandam, quanto religioſius et juſtius ſemper agimus. Cur igitur ille ſuperiore bello plus quam nos profecit? Quia, viri Athenienſes, (nam libertate utar in vos) ille quidem ſolus in exercitu verſatur, et aerumnis ac

periculis intereſt, nec tempus negligens, nec horam anni ullam praetermittens. At nos, (dicam quippe quod verum eſt) hic otioſi deſidemus, tardantes ſemper et decreta ſancientes, ac percunctantes in foro ſi quid dicatur novi. At quando quid poteſt adeo novum esſe, quam vir Macedo contemnens populum Athenienſium, et audens mittere tales epiſtolas, quales paullo ante audiſtis? Ac illi quidem adſunt conducti milites, et inſuper medius fidius oratorum quidam noſtratium, qui ab illo dona recipientes, domum non verentur Philippo privatam exiguis venditare munuſculis. At nos nec res illius perturbare molimur, nec militem peregrinum alere volumus, nec ipſi militare audemus. Nihil igitur mirum, ſi priore bello ſuperior evaſit. Immo id eſt mirabilius, ſi nos, qui nil agimus eorum quae debent belligerantes, exiſtimamus tamen illum ſuperari posſe, qui nil omittit ex iis quae facere oportet praerogativam adepturos. Quibus animadverſis, viri Athenienſes, conſiderate etiam, quod ne in vobis quidem eſt; ut pacem agere velle dicamus, cum ille et indixerit jam bellum, et re intulerit. Quare nulli rei parcere debemus publicae vel privatae, ſed ſicubi opus ſit,

quam

quam promtiſſime in exercitu eſſe; ducibus etiam uti melioribus quam prius. Nec arbitretur quisquam veſtrum, per quos civitatis negotia deteriorem in ſtatum deducta ſunt, per eosdem recuperatum iri poſſe, ac fieri meliora. Neu putetis otium agentibus vobis ut prius, alios pro rebus veſtris alacriter certaturos; verum cogitate, turpe eſſe, patres noſtros, multos labores, et magna ſubiiſſe pericula cum Lacedaemoniis bellando. Vos autem ne ea quidem fortiter velle defendere, quae illi juſte parta nobis tradiderunt. Sed hunc quidem e Macedonia erumpentem, adeo libenter ſe periculis objectare, ut dum pro augendo imperio frequentius cum hoſte congreditur, toto ſit corpore conſauciatus. Athenienſes vero, quibus patrium eſt nemini ſervire, omnes bello vincere, per inertiam et ſocordiam dereliquiſſe tam acta majorum quam commoda patriae. Poſtremo, ne ſim longior, ajo oportere omnes nos ad bellum parare; ceteros autem Graecos, non tam verbis quam operibus ad noſtram invitare ſocietatem. Nam quivis ſermo, ſi factorum expers ſit, habetur varius; ac tanto magis qui ab noſtra re publica fuerit profectus; quanto videmur ad dicendum aliis eſſe promtiores.

IANI PANNONII

ORATIONES TRES,

Quae inter Epiſtolas Matthiae Corvini regis Hungariae Claudiopoli editas reperiuntur.

I.

Oratio Domini Epiſcopi Quinque-eccleſienſis e mandato regio ad legatum Apoſtolicum.

Reverendisſime pater! Nomine et mandato Serenisſimi Domini Regis ac Praelatorum et Baronum Regni cum R. P. V. pauca loquar. Cauſam adventus V. P. R. ac ſuſceptos pro re publica Chriſtiana labores, Regia Serenitas et prius intellexerat, etiam ex relatione R. D. Varadinenſis, et poſtea commemorante ipſa R. V. P. recognovit; misſam ſcilicet eandem

dem eſſe a Sede Apoſtolica, inter alia pro differentiis inter Imperatoriam et Regiam Majeſtatem componendis. Qua in re tam Regia Serenitas quam Domini Praelati et Barones, ac regnum univerſum, quam posſunt maximas gratias agunt S. Domino noſtro, *quia viſitavit, et fecit Redemtionem plebis ſuae, et erexit cornu ſalutis nobis.* Nihil profecto potuit Sua S. hoc tempore cogitare et agere officio ſuo paſtorali convenientius, nihil rebus Chriſtianis conducibilius, nihil denique Deo et hominibus acceptius; et licet ſacroſancta Sedes Apoſtolica ſemper habuerit hoc regnum perpetua ſibi obedientia morigerum, nunc tamen adeo ſibi omnes devinxit, ut nihil ſit, quod non ei pro tanta in nos oſtenſa benevolentia debere fateamur. Florebit diu propter haec Beatisſimi Domini Pii Papae II. clarum ubique nomen, et noſtri ejus meminerint minores. Ceterum ad quales articulos tandem deducti ſint cum Imperatore Romanorum habiti tractatus, Regia Majestas intellexit; ſuper quibus cum Conſiliariis ſuis et univerſitate regnicolarum merito exiſtimavit conferendum. Et quamvis noverit, nihil ſe unquam adverſus praefatum Imperatorem commiſisſe, quo ſtatum ſuum et

regni hujus libertatem perturbare conari debuiſſet; tamen cum inter illius et ſuos quondam praedeceſſores, amicitiae et confoederationes ſemper viguerint, et id Chriſtianorum negotiis etiam nunc maximum afferat momentum; acceptare ſe omnia profitetur, et omnibus ſuum praebet conſenſum, quae ad hujus tam utilis et neceſſariae pacis pertinent firmamentum; non attentis dictorum articulorum difficultatibus, ſed magis eorum et temporum conditione penſata, acquievit in eo Sua Serenitas, Praelatorum ac Baronum ſuorum ſaniorībus conſiliis; et maluit in praeſentiarum Chriſtianorum vacare defenſioni, quam injuriarum ſuarum vindictae quo quo modo inſiſtere. Domini autem Praelati et Barones, quorum in perſona omnia illa tractata ſunt, idem fere pro ſua parte respondent. Communicaverunt ea cum fratribus ſuis et communitate regni quantum opus fuit, et, non quidem articulorum facilitate allecti, quorum ſane graves ſunt quidam, ſed aliis etiam multis et rationabilibus cauſis inducti, etiam oneroſas concordiae partes amplectuntur, ac paratos ſe ad omnia fore dicunt, quibus ea quae concluſa ſunt, ad ſummam optati perducantur effectus. Id eſſe ad praeſens judi-

çant

cant optimum et quantivis emendum, ſi diſſenſionibus ſopitis, confinibus reſtauratis, corona redemta, pace undique parata, liberiores et expeditiores per hoc contra hoſtem fidei tam animis reddantur quam viribus; de cujus terribili adventu fama in dies gravior pulſat aures. Proinde R. P. V. rogant, quatenus, ſi id ſibi per mandatum Apoſtolicum licet, ad Imperatorem celerius revertatur, eidem tam pronam et propoſito accommodatam omnium noſtrum voluntatem referat, mentemque ejus, in priſtina intentione ſtabiliat, ut feliciter coepta felici conſummatione terminentur. Poſtremo R. P. V. tam Sereniſſimus D. N. R. quam Domini Praelati ac Barones et cuncti regnicolae, quantas animis ſuis concipere valent grates, ſpecialiter referunt, pro tanta in ſe affectione, pro ſuſceptis tam ſtudioſe laboribus, pro ſumma in his rebus adhibita diligentia. Omnium quippe judicio R. P. V. non aliter pro hac patria laboravit, quam ſi oriunda esſet ex eadem; nec quidquam praetermiſit, quod ad honorem ſuum proprium, quod ad hujus regni tranquillitatem, quod denique ad ſalutem totius populi Chriſtiani ſpectabat. Vtinam aliquid pro R. P. V. agendum quandoque oc-

curreret; experiretur certe, quam libenter vicem ſavoris rependerent, quam memores beneficiorum acceptorum forent. Nunc quod posſunt R. P. V. meritis proſequuntur laudibus, et honorifica ſaltem voce, animorum ſuorum debitam gratitudinem conteſtantur; quam tamen mox etiam literis Sanctisſimo D. N. et orbi terrarum declarare non omittent. Budae 1460.

II.

Oratio legatorum Matthiae regis ad pontificem, in publica audientia.

Si occupatam plurimis et maximis negotiis Sanctitatem tuam B. P. longiori et nos ſermone moraremur, plus fortasſe publicis commodis impedimenti, quam clementisſimis auribus tuis moleſtiae ingereremus. Proinde cauſam adventus noſtri magnam illam quidem et facundiae capacisſimam, quam ſuccinctisſime proferemus. Cum Serenisſimus Hungarorum rex Matthias, caſtris adverſum Turcos aeſtate praeterita jam

jam motis inter ipſa regni ſui et hoſtilis terrae confinia Pium pontificem felicis memoriae, rebus humanis excesſisſe cognovisſet, ſane pro eo ac debuit, moeſtus aliquamdiu et animi dubius permanſit. Verebatur ſiquidem inter alia id potisſimum, ne factum fidei ab illo viro, ingenti ſpiritu et ſatis amplo conatu inchoatum tepeſceret. Neſciebat, qua jam ulterius fiducia coeptam expeditionem proſequeretur, eo, unde promisſa expectabantur ſubſidia, qui belli ſibi et ſuſcipiendi gravisſimus auctor fuerat, et ſuſcepti certisſimus adjutor fore ſperabatur, extincto. Cum interim longe jucundior fama inſonuit Paulum II. cognominis Petri cathedram obtinuisſe. Quo nuntio quaſi veſpertinum fletum matutina excipiente laetitia, diſcusſere continuo, ſpes metum, gaudia moerorem; nec quisquam dubitavit, ſpeciali Spiritus Sancti afflatu Eccleſiae Dei de tali paſtore proviſum, quem omnibus virtutum numeris praeditum, olim ſummum principem natura ipſa deſignasſet, qui ſapientiam, animi magnitudinem, et ſanctum propoſitum factis magis prae ſe ferret quam dictis. Sed haec una et communis erat cunctis gentibus exultandi ratio. At regem noſtrum cum univerſis pari-

ter

ter noſtratibus, etiam peculiaria quaedam praeterea exhilarabant. Sciebat quippe B. Tuam, amplisſima Venetiarum urbe oriundam, et patriae ut par eſt, amantisſimam, cives ſuos, ſocios noſtros, et eodem quo nos in diſcrimine ſitos, minime deſerturam. Meminerat benevolentiam quoque, quantis favoribus ſacratisſimae recordationis Eugenius Papa IV. praedecesſor et propinquus tuus, illuſtrem quondam parentem ſuum, Chriſtiani tum populi in Turcos ducem, ac totam gentem Pannonicam fuerit proſecutus. Nec ambigebat, cognatam, te, erga nos et humanitatem et liberalitatem imitaturum. Immo difficilior hodie rerum conditio, et tua ſingularis benignitas B. P. qua ut omnes, ita etiam gentilem tuum pontificem ſuperaſti, facile majora de nepote promittebant filio, quam praeſtitisſet avunculus genitori. Haec regem noſtrum adhortabantur, ſuo erga S. T. et Sedem Apoſtolicam officio quam primum ſatisfacere. Quod profecto et fecisſet, niſi gravi et longinquo bello diſtrictus abfuisſet. Vbi vero intractabile anni ſidus et hiberna tempeſtas intermittere coëgit militiam, nihil prius ſtuduit, quam honeſtisſimo iſto fidelium principum inſtituto perfungi. Primum

mum igitur B. T. dignitati tota mentis affectione gratulatur; commendat ſe et ſuos ad pedum oſcula Beatorum; ac remota omnis conditionis invidia, tibi tanquam vero Chriſti vicario, tam ſuo quam regni ſui nomine, puram, plenam, et canonicam offert obedientiam, e ſinceritate animi ac devotione, quam quondam inclyti progenitores ſui R. Eccleſiae et ejus pontificibus praeſtitisſe dignoſcuntur. Nam ſi veterum monumenta annalium evolvere otium tibi esſet P. B. invenires profecto, nullos unquam principes, nullos populos, (pace aliorum dixerim,) Apoſtolicae Sedi tam obſequentes, tam deditos extitisſe, quam Vngaros, et reges Vngarorum. Gentili adhuc errore, Hunnorum natio tenebatur, cum potentisſimus ille Atila Venetam provinciam ingresſus, ac omnia Padum usque amnem ferro et igni populatus, obvium ſibi Leonem Papam, in tanta veneratione habuit, ut ejus monitis et interventu, omisſo ad Vrbem itinere, confeſtim Italia excesſerit. D. deinde Stephanus, qui primus noſtros ad fidem Catholicam convertit, circiter milleſimum Dominicae incarnationis annum, cum Imperatoris Henrici gener, ſororiusque esſet, maluit tamen coronam regiam a

Ro-

Romano petere Antiſtite, ac per hoc, regnum illud Sedi Apoſtolicae devincire. Quem imitatus paullo poſt D. Ladislaus, cum illius temporis pontifex, pro recuperanda terra ſancta crucem late praedicasſet, ipſe pro Gothfrido Hieroſolymam Chriſtianum exercitum duxisſet, ſed ejus mox propoſitum implevit Andreas; qui ſuperatis Saracenis, et adorato Chriſti ſepulcro, non alia hoſtium praeda, quam Sanctorum reliquiis onuſtus, in patriam revertit. Deficiente poſtmodum regio ſemine, ab Apoſtolica Sede principem ſibi Vngaria poſtulavit, et accepit clarisſimum Siciliae regem Carolum, cujus filius et ſuccesſor Ludovicus, regnum Neapolitanum jure ſangvinis ad ſe devolutum et nihilominus armis, poſt B. Petro Apoſtolo reſignavit. Sigismundus porro Caeſar, quanta in Conſtantienſi ac deinde in Baſileenſi concilio pro Martino et Eugenio pontificibus, et alias pro ſacroſancta Eccleſia egerit; ſuperſunt qui experientiae teſtimonium perhibere posſunt. Ne ſingula percurrendo ſim longior, ſemper gens noſtra et principes noſtri, hujus ſacratisſimae Sedis auctoritatem longe plurimi fecerunt, et ad ejus nutum, inter cetera, pacem pariter ac bellum temperarunt.

runt. Novisſime illuſtris Gubernator noſter Ioannes, cujus ſupra mentionem fecimus, cohortantibus et aſsiſtentibus legatis Apoſtolicis, quam ſaepe cum Turco dimicavit, ac tandem magno praelio victor, inter ipſa trophaea ſua, triumphantem ſpiritum reddidit creatori. Parentis igitur ſui et praedecesſorum ſuorum regum ſequens veſtigia Serenisſimus rex noſter, S. V. non eam tantum praeſtat obedientiam, quae in cultu et exhibenda reverentia, ſed etiam quae in parendo voluntati tuae et excipiendis mandatis tuis conſiſtit. Et quia intelligit curam tuam Chriſtianorum defenſioni et Turcorum excidio intentam; omnes ſuas et ſuorum fortunas, ac regium inſuper caput ad hoc pollicetur; te jubente ac ſuffragante, B. P. nihil non etiam arduisſimum ſecure aggresſurus. Suſcipe ergo et paterno amore complectere una cum populo ſibi ſubjecto, devotisſimum filium tuum, regem nostrum Matthiam, praeſertim in iis, quae pro grege tibi commisſo non minus ſublimi quam pio animo concepiſti. Haec eſt prima B. P. adventus noſtri cauſa hodierno die breviter explicata. De iis, quae multae et item magnae reſtant, parati ſumus mox dicere, loco et tempore per T. B. aſsignandis.

Al-

Alteram legationis noſtrae partem hodierna die B. P. repetituri et latius explicaturi advenimus. Vbi primum Sereniſſimus rex noſter, de conditionibus inimici longa experientia edoctus, pro ſua erga S. T. devotione admonet eandem; quod ſi populum Chriſtianum, cui divina vocatione praeesſe meruit, ſalvum esſe vult, prout viribus, indiciis, et actibus prae ſe fert; contra immanisſimum Turcum proviſiones cumprimum faciat opportunas. Solus quippe ille hoſtis Chriſtianum opprimere nomen et maxime poteſt propter vicinitatem, et vehementisſime affectat pro ambitione; nec quidquam aliud diebus ac noctibus, etiam cum otioſus videtur, cogitat, quemadmodum praeterita ejus acta declarant, quam ut huic deſiderio ſuo faciat ſatis. Qui cum non ſolum praepotens ſit in apparando, ſed etiam asſiduus in agendo; nemo ignorat quid ſecuturum ſit, niſi provideatur. Quis autem providebit melius quam tu, cujus et natura eſt ut velis, et officium ut debeas, et facultas ut posſis? Provide igitur eo modo, quem tua ſumma auctoritas ac rerum magnitudo requirit; et ea potisſimum parte hoſtem infeſtari procura, qua maxime laedi poteſt. Non indiges ut nos tibi commemoremus, terrane

potius

potius an mari aggrediendus ſit? quantuſve copiarum numerus ad debellandum exiſtat neceſſarius? Haud te iſta latent tam grandia, quem pro ſua divina ſapientia, etiam minima non fugiunt. Noſtrum eſt, quae ſpecialiter ad nos pertinent declarare. Duobus his praeteritis annis inclytus rex noſter, magna auxiliorum ſpe ductus, demum a nemine fere adjutus, propriis viribus, non tam pro ſe, quam pro omnibus bellum geſſit; inimici exercitus aliquoties fudit; hoſtilem terram devaſtavit; Boznam feliciter recepit, fortisſime ſervavit, ac multa alia rei publicae Chriſtianae ſalutaria edidit, ſui claritate longe notiora, quam ut a nobis in praeſentiarum debeant enarrari. In his omnibus tam brevi tempore plus laboris et expenſae ſuſtinuit, quam integro quinquennio ad privatam defenſionem inſumſisſet. Nihilominus tamen memor paterni exempli, et ſui debiti non ignarus, omni conatu ſuſceptum proſequi negotium inſtituit, et tanto quidem enixius, quanto abs te, B. P. ſubſidia habuerit ampliora. Quae profecto, ſi modo competentia fuerint, non alias majorem fructum parere poterunt. Rex quippe noſter proximis ſucceſſibus ſublimem gerit animum, et regnum

hoc, nunc longe magis unitum, quam antea. Contra Turcus eſt quidem ad vindictam ſui, et ad propagandum imperium ardentisſimus; ſed certe aliquot jam non mediocribus plagis attritum habet exercitum. Age ergo B. P. oblatam tibi bene gerendae rei occaſionem amplectere; ac devotum filium tuum, regem Vngariae, in ſuo pio propoſito adjuva; quod quanto uberius feceris, tanto certior victoria et brevior erit impenſa. Si nos negligentius ageremus, exhortandi tibi esſemus; nunc priores exhortamur. Si nos omnino invalidos cerneres; dubitare posſes ſuffragia tua in vanum ceſſura; nunc cum et ipſi aliquid posſumus, certum eſt, quod auxilia tua, noſtris viribus addita et gloriam S. T. ſempiternam, et commisſo tibi Chriſtiano populo ſalutem comparabunt.

III.

Altera oratio ad eundem Papam in privata audientia.

Gratias agimus B. P. S. T. quam maximas animis noſtris concipere posſumus, ſuper eo, quod dignata eſt uno et

eodem

eodem die, duplicem nobis tam benigne largiri audientiam, et publicam videlicet et privatam, quae omnia non aliud nobis innuunt, niſi votivam in omnibus et celerem expeditionem. Nunc ergo alteram legationis noſtrae partem principalem, quae eſt ſuper facto fidei, breviter exponemus. Et quoniam praeſtamus hodie S. T. ex parte Sereniſſimi regis noſtri obedientiam; ut eam re ipſa comprobemus, offerimus iterum et ex integro, ad mandata tua, B. P. regnum, facultates, perſonasque ejusdem Sereniſſimi regis noſtri. Ipſe quidem paratus eſt ad tuendos Chriſtiani populi fines, et propulſandum communem inimicum, omniaque ſecundum voluntatem juſſionemque tuam facienda; ſed rogat S. T. conſideret neceſſitates ſuas, conſideret imminentis periculi magnitudinem, tantumque ei oneris imponat, quantum humeris ſuſtinere poteſt. Reliqua ſuo, ceterorumque ſubſidio ſuppleat, ut aequatis tandem noſtrorum pariter, hoſtiumque viribus, magis ſucceſſus ſperari, quam timeri diſcrimen poſſit. Duobus his praeteritis annis, inclytus rex noſter, magna auxiliorum ſpe ductus, demum a nemine fere adjutus, propriis viribus, non tam pro ſe, quam pro omnibus bellum

geſſit; inimici exercitus aliquoties fudit; hoſtilem terram devaſtavit; Boznam feliciter recepit, fortisſime ſervavit, ac multa alia rei publicae Chriſtianae ſalutaria edidit, ſui claritate longe notiora, quam ut a nobis in praeſentiarum debeant enarrari. In his omnibus tam brevi tempore, plus laboris et expenſae ſuſtinuit, quam integro quinquennio ad privatam defenſionem inſumſisſet. Nunc autem opulentisſimus et potentisſimus Turcus, tanto magis ſe reficit, tanto magis vindictam parat. Denique nemo ignorat quid ſecuturum ſit, niſi provideatur. Quis autem providebit B. P. melius quam tu? cujus et natura eſt ut velis, et officium ut debeas, et facultas ut posſis. Neque enim inopem te dicere fas eſt, qui tam multos quotidie ditas; qui cum coeli et terrae claves teneas, imperare omnibus potes ut conferatur. Provide igitur tempeſtive, quia periculum eſt in mora. Turcus enim quanto magis quieſcere permittitur, tanto minus ipſe quieſcit. Non deſideramus a te B. P. ut ſacroſanctum caput tuum, ventis fluctibusque committas, et praeſentia tua Chriſtianis auctoritatem augeas, animum minuas inimicis. Ire autem jube ea parte ac via, qua maxime hoſtis tentat

offen-

offendere; ibique remedium magis adhibe, ubi peſtis amplius ſerpit. Quod quanto uberius ſemel, bis, terque feceris; tanto certior victoria et brevior erit impenſa. Melius eſt, ut quod expenſuri omnes esſent paullatim ad defenſionem ſuam, puta per annos decem; expendant large per duos, aut tres, ad offenſionem inimici excidiumque ſempiternum. Posſet fortasſis ipſe rex noſter, et aliter ſibi regnoque ſuo conſulere; ſed zelo fidei accenſus, tuaque benignitate fretus, B. P. mavult ipſe periclitari pro omnibus, quam aliorum pericula ſpectare otioſus. Quod ſi aliqua eſt regio, unde Turcus magis caedi poteſt, quam ex Vngaria; contentus eſt, ut eo conferantur ſubſidia. Si quis eſt principum Chriſtianorum, qui publicam defenſionem ſuſcipere velit; paratus eſt ipſe illi praeſtare, quidquid abs te petit et optat. Si regem noſtrum invalidum cerneres, dubitare posſes ſuffragia tua in vanum cesſura. Nunc cum et ipſi aliquid posſumus, certum eſt, quod auxilia tua, noſtris viribus addita, et gloriam S. T. ſempiternam, et commisſo tibi Chriſtiano populo ſalutem comparabunt.

IANI PANNONII

EPISTOLAE,

Quarum quaedam una cum ejuſdem carminibus editae; pleraeque autem epiſtolis Matthiae regis paſſim intermiſtae leguntur.

I.

Epiſtola praepoſita libello Plutarchi, De capienda ex hoſtibus utilitate, in Latinum converſo.

Ioannes Pannonius Marco Aurelio. S. D.

Multa ſunt, Marce Aureli, quae me unum in tanta interpretantium copia, ne quid ipſe interpretarer, ſunt hactenus dehortata, verum illud in primis, quod mea proferre quam aliena transferre, ſemper duxi praeſtantius: tamen quando ita evenit, ut inſtitutum tandem meum transgrederer;

rer; cui potius has primitias offeram quam tibi? qui me id negotioli ſuſcipere, quod profecto non facile alius fecisſet, crebra incitatione compuliſti; qui praeterea hunc libellum, me velut in ſchola dictante, quaſi diſcipulus, aut velut orante, quaſi notarius excepiſti. Nec vero hac ſola de cauſa potisſimum tibi eum mitto; ſed multo magis, ut tu homo nobis amicisſimus, cum inimicitiarum utilitates a Plutarcho ſapienter collectas leges, quanto uberiores ſint amicitiae noſtrae fructus, recognoſcas. Ceterum quod ad opusculum ipſum pertinet, nec ego id tibi admodum commendo, nec emitti abs te in vulgus magnopere cupio; quoniam ex ea re laudem nolo conſequi, quam laudis gratia non ſum ingresſus; vituperationem certe non debeo, cum nec doctrina mea, nec aetas ea ſit, ut citra veniae meritum quicquam potuerit a nobis delinqui. Quicquid erit, equidem prober ab aliis an reprehendar, juxta aeſtimo; ſi tu tantum obſequio meo contentus es, effugi poenitentiam. Vale. Kal. Decemb. M. CCCC. LVI. Montanianae.

II.

Ante libellum Plutarchi, De curioſitate, Latine verſum.

Ioannes Pannonius Marco Aurelio. S.

Iterum me acerrimis cohortationibus tuis, Marce Aureli, ad interpretandi officium, quod antea conſtantisſime deprecari conſveveram, impuliſti. Accipe ergo iterum ex eodem Plutarcho libellum, mores negotioſorum hominum comice depingentem; quem ideo ſtudioſis non inutilem fore arbitror, quod ſive hoc morbo laborantes eum legent, poterunt ſanari; ſive plane valentes, qualis tu es, poterunt oblectari. Ceterum ſi mandatum meum de eo expectas; ad ſuperioris opuſculi, cui et hoc annectendum curabis, praefatiunculam te remitto. Nam in praeſentia majus quippiam tecum agere conſtitui. Nomen quidem iſtud, quod pro indice libri asſcriptum vides, Aulus Gellius, opinor, in Noctibus Atticis, de hoc ipſo tractans ita reſpuit, ut aliud ſta-

tim

tim concinnius requirat; poſtremo deſperata ejus inventione, quid πολυπραγμοσύνη Latine ſignificet, longo verborum ambitu deſcribit. Idem, oppido quam frequenter, pro *accurato* ponit *curioſum*. Ego tamen, bona venia docti hujus et diſerti auctoris, eo vitio praeditos, partim *negotioſos*, partim *curioſos*, vitium ipſum tum *negotioſitatem* tum *curioſitatem* appello. Cum praeſertim Nigidius, homo ipſius judicio, juxta Varronem doctisſimus, affirmaverit, inclinamentum ſemper hujuscemodi verborum, ut, *vinoſus*, *religioſus*, ſignare copiam quandam immodicam rei, ſuper qua diceretur. Cicero etiam potisſimum in libro, De Officiis primo, cum admonet peregrinum minime esſe debere in aliena re publica curioſum; poëta item Catullus, Latinitatis aeque diligens custos, cum ita loquitur:

Quae nec pernumerare curioſi
Posſint, nec mala faſcinare lingva,

manifeſte hoc vocabulum, in malum tantum accipiunt. Nos igitur hunc, et ſi qui praeterea itidem eo utuntur, jure optimo ſecuti ſumus. At durum quiddam eſt *negotioſitas!* Credo item et *curioſitas*. Sed haec, et complura hujusmodi,

vel propter neceſſitudinem facile tolerabuntur, vel ſicut illa Ciceronis *beatitudo* et *beatitas*, uſu aliquando emolleſcent. Quanquam idem Cicero in Tuſculanis Quaeſtionibus a *mulieroſo mulieroſitatem*, a *vitioſo vitioſitatem*, ab *ebrioſo ebrioſitatem*, et multa pasſim id genus intrepide ac ſine ulla nauſea configurat. Verum ſupra dicta aliquot, vocabulorum novitati patrocinantur. Quod ſi toto in opere dicendi venuſtatem deſiderabis; fac primum cogites; quam aegre procedat omnis traductio; tum quod nec orationes nec hiſtoriae tam ſunt difficiles tranſlatu, quam ſcripta philoſophorum, in quibus ſi modo ſententiam recte verteris, magna felicitas eſt cetera non omnino inſipida videri. Vale. Patavio, pridie Kal. Mart. M. Quadringenteſimo Quinquageſimo ſeptimo.

III.

Epiſtola praemisſa Loco Homerico Iliados Z. Latinis verſibus reddito.

Ioannes Pannonius Galeotto Martio Narnienſi. S. D.

Cum incidisſent in manus meas Homerici cujusdam interpretis aliquot libri; tertius, puta, quartus et quintus; nolui

nolui quicquam de illo temere judicare, niſi prius et meas ipſe vires, in eadem, ut ita dixerim, palaeſtra experirer. Quod etiam eo libentius ſeci, ut hoc uno compendio tam Graecas literas, quam verſificandi uſum, longo tandem poſtliminio repeterem; quarum duarum rerum, ab ineunte, ut noſti, pueritia, ſemper fueram ſtudioſus; ſed jam pridem ambas aeque intermiſeram, cum aliis occupationibus diſtrictus, tum quod in hac noſtra barbaria, nec librorum copia dabatur, nec qui excitare ſtudium posſet, usquam applaudebat auditor. Nec vero ego nunc totam auſu temerario Iliadem aggresſus, faſtidioſum lecturis et ridendum Satyris texui volumen; ſed exercendi tantummodo mei gratia, unam ex tanti operis libro ſexto particulam libavi, quae Bellerophontis in primis fabulam continet; quem locum ideo potisſimum delegi, quod hujus Herois nomen quidem apud Latinos celebre cognoveram, at vero genus et facta et exitum, pasſim ignorari videbam. Verum et alia quaedam, notitia et memoratu digna hoc habet carmen. Hic quippe et Lycurgi illius fabula intercurrenti narratione inſeritur, quem Baccheo furore inſtinctum, genua ſibi ſuccidisſe, complu-

plures noſtratium poëtarum prodiderunt; et omnis locus famoſa illa Diomedis et Glauci armorum permutatione clauditur; in qua Martialis more ſuo jocatur, inquiens:

Tam ſtupidus quondam nec tu, puto, Glauce, fuiſti,
Χάλκεια donanti χρύσεα qui dederas.

Verum, mea quidem ſententia, jam nihil aeque praeclarum, quam moralisſima illa humanae nobilitatis ſugillatio, ubi peritura terreni ſtemmatis viriditas, caducis ſilvarum frondibus aptisſime comparatur; ut jam merito deſinant mortales barbarico faſtu, majorum gloriam jactitare, cum proſapiam ſuam, medio vere naſcentibus, et primo autumno defluxuris arborum foliis quam ſimillimam esſe cogitaverint; ac nonnulla inſuper adnotanda, quae legens tu ipſe animadvertes. Sed ut omnia liquidius clareſcant, contextum tibi poëmatis breviter intimabo. Praevalentibus adverſum Trojanos in campo Graecis, Aeneam et Hectorem Helenus admonet vates, uti reſtituta quam primum acie, alter eorum, videlicet Hector, urbem petat, ac Minervam ſupplicationibus et donis propitiandam curet, cujus favore Diomedes et reliqui Graecorum principes, magnam ſtragem ediderant. Igitur Hector,

Hector, cum ſuos fugientes ſtitisſet, et praelio inſtaurato, Graecos retrocedere coëgisſet, diſcesſit. Interim in medium utriusque exercitus, quaſi ſingulari certamine pugnaturi procedunt, hinc Diomedes, inde Lyciorum dux Glaucus; quem Aetolus tanquam ſibi antea incognitum, diligenter de progenie ſua interrogat, ſimul obſcuritatem hoſti militariter objiciens, ſimul provide cavens, ne forte, quemadmodum paullo ante Veneri et Marti, ſic et nunc deo cuipiam, ſub humana ſpecie latenti, quamvis ignarus, tamen impie congrederetur. Glaucus vero illi excuſationem praefatus, tandem commemorat, ſe quidem a Siſypho et Bellerophonte Corinthiis regibus esſe oriundum; ſed modo ad Trojam venisſe e Lycia. Quibus auditis confeſtim a Diomede hoſpes agnoſcitur, et amicitia inter eos, variis pignoribus confirmatur. Proinde, ut ad eam partem unde ſequentia dependent, regrediar, Hector quidem, inquit, cohortatis ſuis, Ilium profectus eſt.

Glaucus at Hippolocho ſatus etc.

IV.

IV.

Ioannes Epiſcopus Quinque-eccleſienſis Cardinali Diacono S. Euſtachii.

Reverendisſime Pater! Accenſus fama eminentisſimarum virtutum R. P. V. quae jam pridem plurimorum ſermone longe ac late praedicantur, accenſus inquam hujusmodi fama, nec tam meis fretus meritis quam benignisſima humanitate R. P. V. confiſus, praeſumſi prior ſcribere eidem, ac offerre me in famulum et ſervitorem ad omnia mandata pro viribus paratisſimum. Cujus quidem deſiderii mei teſtis accedit R. P. D. Marcus Epiſcopus Tininienſis, qui et praeſentium literarum mearum brevitatem pariter et ruditatem facile amplius et locupletius viva voce, et commendatione ſupplebit. Nec tamen tanto teſte contentus, miſi pro V. R. P. per eundem, pignora quaedam licet exilia, ab animo tamen deditisſimo profecta, et quaſi primitias obſequiorum meorum, quae pro nunc ſatis impetrabunt, ſi tantum admitti et reſpici merebuntur. Si quid praeterea eſt, quod poſt fratrem

fratrem meum D. Varadienſem exiguitas mea posſit, cogitet R. P. V. habere ſe unum ex minimis ſuis in Hungaria, cui omnia ſuo arbitratu valeat imperare. Altisſimus R. P. V. diu ſervet incolumem ac felicem! cui cupio esſe quam commendatisſimus. 1460.

V.

Ioannes Varadinenſis, et alter Ioannes Quinque-eccleſienſis, Epiſcopi, Gregorio Comiti de Blaga.

Magnifice Frater, nobis honorande! Quia tam Apoſtolica Sedes, quam regia Majeſtas Epiſcopatum Tinninienſem R. in Chriſto P. D. Marco Epiſcopo, amico noſtro ſpeciali contulerunt; cujus quidem Eccleſiae Tinninienſis decimae, aliqua ex parte in dominio M. F. V. conſtitutae esſe dignoſcuntur; ideo M. F. V. rogamus diligenter, quatenus praefatum D. M. Epiſcopum in hujusmodi decimis ſibi de jure debitis tueri, ac easdem manibus ſuis vel ſuorum, libere et legitime adminiſtrari facere dignemini. Non ſolum nobis,

nobis, ſed etiam Deo in hac parte rem placitam factu- ri. 1460.

VI.

Epiſcopus Quinque-eccleſiarum ad D. Senenſem.

Dudum me R. P. V. totum dedicavi, ſed ne inter negotia Curiae, mea tenuitas R. P. V. animo excidat, refricandam vel literis memoriam putavi. Et quoniam ſemel R. P. V. mei et Eccleſiae meae patrocinium ſuſcepit, ſupplico humiliter, quatenus et nunc in certis cauſis meis, quas iſtic R. in Chriſto P. D. Marcus Epiſcopus Tininienſis, moturus eſt, velit esſe promotrix; ſuae magis benignitate naturae, quam meritorum meorum contemplatione. Altisſimus R. P. V. diu ſervet incolumem ac felicem! 1462.

VII.

VII.

Episcopus Quinque-eccleſiarum Ioannes, ad Cardinalem S. Angeli.

Satisfacturus eram debito meo erga R. P. V. literis longioribus, ſi non earum portitorem contigisſet esſe R. P. D. Marcum Episcopum Tinninienſem, quem ſatis ſcio et ornatius et copioſius omnia relaturum, quae a me ſcribi posſent. Vnum tamen, quamvis et illi coram peragendum delegaverim, nihilominus et epiſtolae mandandum putavi, plurimam videlicet mei commendationem apud P. R. V. Quam Altisſimus ſervet diu felicem! Budae. 20. die April. 1462.

VIII.

Ioannes Episcopus Quinque-eccleſienſis ad Cardinalem Papienſem.

Laetus intellexi R. P. V. novam benevolentiam et humanitatem erga fratrem meum D. Varadinenſem; quem ut

primum ſenſi ex his jam eſſe, quos R. P. V. pro ſuis habet; e veſtigio concupivi et ipſe huic numero aggregari; ut qui cognatione jungimur invicem, etiam V. R. P. obſequio pariter dicaremur. Offero igitur mediocritatem meam R. P. V. ſupplicans eidem, quatenus et me perpetuis ſervitoribus ſuis adnumerare dignetur. Vt autem quod verbis aſſtruo, rebus indicem, quasdam in praeſentiarum meae devotionis primitias, licet exiguas R. P. V. mitto. In quibus peto mittentis magis animum penſari quam munuſculi vilitatem. Cetera dicet R. in Chriſto P. D. Marcus, Episcopus Tinnienſis; qui etiam apud SS. D. N. pro certis cauſis meis et meorum intercesſurus eſt. Quarum una, quae ad quietiorem mei et Eccleſiae meae ſtatum pertinet, ſatis quidem ardua eſt, plurium tamen judicio non inuſitata, nec prorſus illicita; nobis vero multis ex rationibus plurimum necesſaria. Oro V. R. P. ut in ea re promovenda, ſui erga me favoris initium auſpicetur. Nemo eſt, cui pro tanto in me collato beneficio malim obligari quam R. P. V. Quam Altisſimus ſervet diu feliciter! 1462.

IX.

IX.

Ioannes Episcopus Quinque-eccleſienſis ad Cardinalem S. Suſannae.

Reverende Pater! Niſi mihi jam dudum famae praeconio cognita eſſet illa R. P. V. humanitas ſingularis, miratus profecto fuiſſem, quod is, qui et virtute et doctrina et auctoritate, inter Eccleſiae Dei principes princeps habetur, ad me homunculum prior ſcripſerit, ac per literas ſuas me ad amicitiam invitaverit, mihique amicum ſuum commendaverit adjuvandum. Ego vero R. P. ſummi benificii loco, et quodam modo felicitatis inſtar mihi duxerim, quod a tanto viro, ignotus agnoſci, et abſens diligi, et prope inutilis aliquem in uſum aſſumi promerui. Et certe, ut debebam, affectabamque, requiſiiſſem ego jam pridem oraſſemque R. P. V. ut me inter ſuos adnumerare dignaretur, ni me tenuitatis meae conſcientia reddidiſſet verecundiorem. Neque enim ego is ſum, qui eam opinionem implere poſſim, quam forte

de me R. P. V. pro ſua benignitate concepit. Nam quicquid de me rumor perſonet, ut verum ingenue fatear, nec animi virtutibus adeo unquam excellui; et ſi quid ſtudiorum olim in Italia hauſeram, ea mihi omnia, oblivione et longa deſvetudine jam effluxerunt. Quantulumcunque tamen vel natura vel fortuna valeo, ſciat R. P. V. id totum obſequils ſuis esſe dedicatum; nec quidquam mihi futurum jucundius, quam ſi quid mandaverit, in quo ego ſaltem hanc animi mei ſibi deditisſimi affectionem posſim declarare. Cetera uberius referet R. P. D. Marcus, Epiſcopus Tinninienſis, quem mihi per R. P. V. commendatum, eidem una mecum invicem commendo. Equidem ſi quid potuisſem, libens pro eo fecisſem, tum ſuis meritis, tum commendatione R. P. V. ſed neque tum apud Regiam Majeſtatem affui, neque ſi interfuisſem, multum mea praeſentia momenti habuisſet; ſatiſque mihi etiam eſt, quod is, qui aliquid poteſt, rem ejus proſpere expedivit. Omnipotens R. P. V. diu ſervet incolumem ac felicem! Ex Quinque-eccleſiiis. Die 28. Septembris. 1462.

X.

X.

Ioannes Quinque-eccleſienſis Epiſcopus ad Ducem Venetiarum.

Serenisſimo Principi D. Chriſtophoro Mauro, Duci Venetiarum etc. D. meo benignisſimo, Ioannes Epiſcopus Quinque-eccleſiarum.

Quanti me, et in primis avunculum meum Varadinenſem Episcopum V. faciat Serenitas, literis ſuis per Polycarpum noſtrum misſis plane declaravit; quas ego multis ex cauſis habui gratisſimas. Nam primum hoc ipſo animadverti maximam erga nos Excellentiae V. humanitatem, quod ſalutationi noſtrae verbis duntaxat nuntiatae, respondere ſcriptis eſt dignata. Illud vero ne votis quidem unquam expetere auſi fuisſemus, ut nos tantus princeps, non modo inter caros, verum etiam inter carisſimos ſuos asſcriberet, ac virtute et auctoritate in hoc regno duceret esſe primarios. Profecto etiamſi omnia in nobis esſent quam amplisſima, nunquam tamen

men tam magnifico Celſitudinis V. de nobis judicio, et tam liberali erga nos benevolentiae, parem referre gratiam ſuffi-ceremus, nedum hac tenuitate noſtra tam naturae quam fortunae. Fatebamur equidem, et antea plurimum nos debere ampliſſimae rei publicae V. a qua praeter meritum noſtrum, ſummos ſemper honores et accepimus et expectavimus; nunc autem major priſtino acervo noſtrae obligationi cumulus acceſsit. Quapropter ita velim exiſtimet V. Majeſtas, nos ſibi eſſe quam deditisſimos, et ad quaelibet praeſtanda officia quam paratisſimos. Quod ſi quibus forte in rebus ſtudioſisſimae voluntati noſtrae, vires minus ſuppeterent, id animi pietas et devotio compenſabit. Quinque-eccleſiis. die 5. Kalendarum Octobrium. 1462.

XI.

Ioannes Epiſcopus Quinque-eccleſienſis, ad Raphaëlem Tonenzonium.

Ioannes Epiſcopus Quinque-eccleſienſis, Raphaëli Tonenzonio. S.

Animadvertimus ex proximis literis tuis, jam jam ſaepius te ad nos ſcripſiſſe. Nae tu vel hoc ipſo facile intelligere potuiſſes, nullas tuarum nobis hactenus redditas, quod reſponſum non habebas. Non ſum equidem tam piger aut inhumanus, ut amicorum epiſtolis non reſcribam, et praeſertim talium amicorum, qui me longe poſitum et paene incognitum ſtudioſiſſime colunt et obſervant. Sed nihil eſt, quod nos a ſcribendo deterreat viarum aſperitas et diſtantia locorum. Immo quanto minus perferuntur, tanto nos invicem ſcribamus frequentius, ut longinquitatis diſpendium, compenſet aſſiduitas; vix fieri poterit, quin e pluribus unae aut alterae perveniant. Ceterum quod ſcribis Polycarpum

pum noſtrum laudabilem iſthic et fructuoſum huic regno egiſſe legatum, et libenter audio et facile credo. Novi ego jam pridem virtutem hominis et doctrinam. Veſtra tamen teſtimonia hic inter nos plus habent ponderis, quam ſi ille a me, condiſcipulo quondam ſuo praedicaretur. De me autem ipſo parcius te loqui et ſentire velim. Non ſum ego is, quem vel tu exiſtimas vel fama decantat. Si quid etiam olim de fonte Guarini noſtri, quem tu merito laudas, hauſeram, id tam longa intermisſione exaruit. Poſtremo quod petis te R. D. avunculo meo fieri commendatum, habes quod optas. Fovet ille vir, et quidem ſua ſponte, omnes doctos ac tui ſimiles viros. Tu modo perge, ut coepiſti, et ambobus nobis te carum esſe confidito. Vale. Quinque-eccleſiis. 1462.

XII.

Ioannes Episcopus Quinque-eccleſienſis ad Nicolaum Cuſtodem Vacienſem.

Revertetur ad Curiam R. P. D. Marcus, Episcopus Tinninienſis, in ſuis rebus proſpere expeditus, in aliis ple-

ne

ne informatus. Prout ergo ipſe dicet, et quemadmodum hactenus fecit tua F. negotia D. Varadinenſis et noſtra, fideliter ac diligenter procuret, habitura et nos in promotione ſui faventiores. Datum 1462.

XIII.

Ioannes Episcopus Quinque-eccleſienſis ad Galeottum.

Ego, mi Compater, excuſationem tuam facile accipio. Tu vero illa, quae per Plebanum ſcripſi, non debebas tam alte intelligere. Scripſi, non quia omnino tibi diffiderem, ſed partim joco, partim ut te exſtimularem, quo citius ſatis faceres deſiderio D. N. qui ut ſcis, propemodum avidior eſt laboris quam vitae. Cui cum narrasſem, quemadmodum tibi ſcripſerim de non tangenda pecunia, indignatus dixit: Tu illum bonum virum facies cadere in aliquam desperationem. Respondi. Sinite me cum Compatre meo jocari. Nos bene novimus alter alterum. Age igitur, ut melius noſti; nihil opus habes commonefactione noſtra, quippe qui virum

hunc intus, et in cute noris. Illud ſcito, quod quanto diligentius morem gesſeris, tanto tibi erit utilius. De Magiſtro Bartholomaeo, quamvis ego non ſim bonus Aſtrologus, tamen ita judico, quod ille homo neſcit fortuna uti Nos hactenus, Deo juvante, ſatis feliciter viximus ſine Horoſcopis et Genethliacis; ſpero vivemus et in futurum. Medici tamen et tonſoris adhuc volo memineris. Peregrinationem iſtam tuam Hiſpanienſem ſeu Britannicam, tunc magis laudabo, cum te ſalvum et locupletem revertisſe audiero. Non timeo equidem tibi Scyllam et Charybdim, Cyclopas et Laeſtrygonas; cave de Solis menſa et Lothophagorum ſuccis ne quid guſtes. Vide ne qua te Circe, ne qua Calypſo detineat,

- - - - - - - - - et male blandos

Sirenum cantus ceratis auribus - - -

fac praetereas. Illud jam nunc tecum paciſcor, ut reduci tibi, poſt aliquantam domi morulam, Pannonia ſit Corcyra, ego Alcinous. Eritne unquam ille dies, quo nos omnes ab ore tuo pendebimus, et mirabimur narrantem,

Ocea-

Oceani monſtra, et juvenes vidiſse marinos?

ac longe Calpe relicta,

Audiſse Herculeo ſtridentem gurgite Solem? et,

Quanto Delphinis Balaena Britannica major?

Tu loqueris quicquid voles, nos omnia credemus. Vnum te rogamus, ut ſi quid nobis dignum usquam inveneris, praeſtes copiam. Interim et nos evademus ditiores, et poterimus aliquid tibi tribuere, fortasſis non minus, quam iſti tui Archiepiſcopi et Comites,

Quos colis et Muſarum et Apollinis aede relicta.

Quanto autem longius et diutius es affuturus, tanto magis cura, ut quamprimum habeamus ea, quae tibi commiſimus, ſchedulas puta noſtras et arma et praeſertim commentarios in Homerum. Thoracem autem ſericeum, et ſi quae imparata vel nondum miſſa relinques, doce, ubi requiramus. Poſtremo fac nos certiores quamdiu adhuc manſurus in Italia ſis; ne fruſtra poſtmodum ad te ſcribamus, aut inani labore nuntios fatigemus. Vale. 1462.

XIV.

XIV.

Ioannes Epiſcopus Quinque-eccleſienſis ad D. Cardinalem S. Suſannae.

Reverendisſime Pater! Commendat mihi per literas R. P. V. Reverendum D. M. Epiſcopum Tininienſem; commendat etiam Catholicae Fidei defenſionem. Ipſius quidem D. Marci negotium, votivam habuit expeditionem, benignitate Sereniſſimi D. N. regis, et Dominorum qui tum aderant, promotione; inter quos et ego, quantum facultas mea tulit, laboravi; cum merito perſonae praefati D. Marci, quovis ſtatu dignisſimae, tum commendatione R. P. V. cui quam ſim jam pridem, et esſe velim ſemper ad omnia obſequia exhibenda deditus, ex effectibus mallem intelligeret, quam ex verbis. Si tamen teſtimonio eſt opus, nec locupletiorem nec certiorem teſtem adducere quenquam posſum, quam D. M. Epiſcopum ſupra dictum. Qui etiam clarius referre poterit, quemadmodum hic defenſio nominis Chriſtiani procedat. Cui vim meam omnem, quantulacunque

eſt,

eſt, libens impendo, et ob hanc maxime cauſam lateri regio diutius adhaereo. Si quid praeterea eſt, quod exiguitas mea R. P. V. gratum efficere posſit, totis, ut teneor, viribus experiar. Quam diu felicem valere ac me commendatisſimum habere vehementer deſidero. Datum 1463.

XV.

Ioannes Episcopus Quinque-eccleſienſis ad Galeottum Martium.

Ioannes electus, confirmatus Quinque-eccleſienſis cet. Galeotto ſuo. S.

Et nuntius inſtat, et ſumus occupati; maluimus tamen vel breves ad te literas dare, quam nullas. Si Dominus Vicoxime, vel recesſit jam, vel recesſurus eſt, cave aliud feceris, quam ad nos venias. Memineris te ad hoc jurejurando asſtrictum; memineris item votum tuum adverſus Turcos, quos jactatam illam fortitudinem tuam aliquando experturos praedicabas. Si veneris, praebebimus tibi rerum tantam et

tam

tam frequentem copiam, ut nunquam queri poſsis, non habere te, quicum pugnes. Vale. 1464.

XVI.

Ioannes Quinque-eccleſienſis Episcopus ad D. Strigonienſem.

Ad ſcripta R. P. V. ſuper procuranda impetratione quarundam posſesſionum quondam Nicolai Trewthl, eidem V. R. P. duximus respondendum; ne forte putaremur officium noſtrum erga R. P. V. ignavia magis, quam alia ex cauſa neglexisſe. Sciat igitur R. P. V. quod et priſtinam auctoritatem noſtram, apud Serenisſimum D. N. regem adeo etiam nunc retinere credimus, et benevolentiam ipſius D. regis erga R. P. V. ita perſeverare animadvertimus, ut merito arbitremur, rem hanc nobis impetrabilem fuisſe futuram, ſi modo praevenire licuisſet. Verum ſex fere diebus antequam literae V. advenisſent, jam id negotium transſierat in rem judicatam, ad partem videlicet Dominorum Herczeg de Zekchew; qui inita et communicata ſocietate cum Geor-

Georgio de Parlag, et Paulo de Kalo, regium ſuperiude chirohraphum mature extorſerant Quod cum nobis esſet oblatum, mirati equidem fuimus vehementer, de tam inopinata et quodammodo incredibili morte adoleſcentis; nec quidquam in ea re aliud agere vel ſcivimus vel debuimus, quam regalibus obtemperare mandatis. Hanc rei geſtae ſeriem voluimus R. V. P. esſe notam, ne forte, ut ante diximus, noſtrae id quoquo modo culpae magis asſcriberetur, quam fortunae. 1464.

XVII.

Episcopus Quinque-eccleſienſis, ad Galeottum Martium.

Ioannes Episcopus Quinque-eccleſienſis, Galeotto ſuo. S.

Scribis mihi, quanta malignatus ſit inimicus in Sancto. Hic vero parce quaeſo, ſi quae praeter ingenium meum loquar confidentius. Ignorat ille miſer, ignorat quanta et ego remachinatus fuerim in eum. Si quid inceptasſet, expertus pro-

profecto fuiſſet, uter noſtrum plus poſſit, ſive in Curia, ſive alibi, vel auctoritate vel lingva et rebus omnibus. Equidem non video, qua in re ipſe nobis nocere poſſit. An ne in Hungaria ex Episcopis evadamus Archiepiſcopi? At jam ſumus. An ne Romae efficiamur Cardinales? At hoc ultro recuſamus. An ne regnemus? At deturbare nos de gradu quem tenemus, nedum unius advenae, ſed ne indigenarum quidem omnium hominum invidia poteſt. Ego autem ſi canere coepero levitates ejus, et vecordias, non facile officiam ſaltem promotioni ejus? quam ſe conſecuturum ſperat immerito. Quid, quod promtiſſimum ſemper eſt criminari diſpenſatores etiam probos.

Sic pater omnipotens faciat, ſic altus Apollo,
Incipiat conferre manum.

Illiusne ego curem fabulas? cujus dicta ridentur; cujus ſcripta, nec ſcripta ſunt, quia non ſcribit; cujus carmina nemo legit.

At ſi quid noſtrae illi bilis inusſerit ardor,
Vivet et haerebit, totoque legetur in orbe.
Stigmata nec vaſra delebit Cinnamus arte.

Di-

Dicit nos esſe arrogantes! Credo nullam esſe tantam humilitatem, quam homo ipſe inſolentisſimus, non in alio putet ſuperbiam. Sed nae ego ineptus ſum, qui ineptiis illius diutius respondeo. Sufficiebat mihi Paulus Apoſtolus, qui optime cum Epimenide poëta dixit; Cretenſes ſemper mendaces, malas beſtias, ventres pigros. Nam etſi ille natione Cres non ſit, Cretenſium tamen praeſul eſt, et quidem non tam presbyterio quam mendacio. Tu autem refers initam amicitiam; Vtinam ſincera ſit et ſtabilis! Sed certe nulla eſt in levibus conſtantia, quae in hoc genere prima exigitur. Per me tamen nunquam ſtabit, quo minus concordia iſta duret; disſimulabo praeteritas offenſas, obliviſcar injuriarum omnium cauſa pacis. Si tamen, quod plurimum vereor, ille redierit ad vomitum, ---. Verum de his hactenus. Nunc ad te, et tua negotia, mi Compater, venio. Scribis de humanitate regis erga te; et liberalitate D. N. de pollicitatione D. Varadienſis et Colocenſis Antiſtitum. Qua in re tibi gratulor, quia futurum jam jam divitem conſpicor; mihi gaudeo, quia quod ego tibi debebam, id alios praeſtare et vicem meam ſupplere video. Si quid tamen ex iſtorum

omnium collatione ad ſummulam aliquid tibi defuerit, recurres ad me, et ſi blande popoſceris, forſitan accipies. O factum bene! quod Muſae tuae et ſacetiae, hic inter barbaros majora inveniunt praemia quam domi. Quam male metui, ne te ego ad litus arandum ducerem! Sed jam ſequere fortunam tuam et nata ſine cucurbitis. Semper tamen in memoria habeas, ad quid huc veneris? Nempe ut doceas indoctos, exhilares moeſtos, teipſum locupletes. Cave ergo quidquam dicas agaſve contrarium. Proinde nec tuum illud mihi placet, quod de Imperatore et de Rendolo jocaris. Nonne ſubiit, quam grave ſit in eos ſcribere, qui poſſunt proſcribere, et in eos dicere, qui poſſunt edicere? Tu tamen in his utere judicio tuo, et prudentiorum; mihi pro amicitia ſatis fuerit admonuiſſe. Quod legationem meam ex te quaeritat rex, mediocriter laetor. Scio voluptati ſibi eſſe non tam facta ipſa et rerum ordinem, quam ſales tuos; nec dubito eum magis delectari narratis tuis, quam geſtis noſtris. Poſtremo ſvades ut libros mittam. An nondum etiam ſatis miſiſſe videor? Graeci mihi ſoli reſtant, Latinos jam omnes abſtuliſtis. Dii melius! quod nemo veſtrum Graece ſcit!

Pii-

Puto et ex Graecis nullum mihi ſecisſctis reliquum. Quodſi didiceritis, ego mox Iudaïcum ediſcam; et ex Ebraeis codicibus Bibliothecam inſcribam. Quae eſt iſta, quaeſo, tanta librorum habendorum inſatiabilitas? Creditis hoc non esſe vitium? At mea quidem ſententia, nihil intereſt ad culpam, hoc an illud immoderate cupias; animi perturbatio, ubi modum transgreditur, ſemper peccat. Sed cupias ſane libros, modo ne alios ſpolietis, praeſertim minus habentes. Plena eſt hujusmodi ſupellectilis Italia, facite adduci quantos vultis; mittite numos Florentiam, unus vobis Vespaſianus ſufficiet. Quid nobis eos qui praeſto ſunt, gratis eripitis? Soline vos ſtudioſi eſtis? Ne valeam, ſi omnes vos totum hunc menſem tam multa legiſtis, quanta ego vel heri. Teſtor Muſas ipſas, et lecturum me, et ſcripturum fuisſe plurima; ſed jam extortis mihi harum rerum ſubſidiis, necesſario conticeſcam, et lingvam rubigini permittam. Nemo jam veſtrum a me carmen expectet; nemo ſolutam orationem deſideret; nemo tranſlationes, quas inſtitueram, et jam habebam in manibus, requirat; nemo me ultra literas dictare compellat; ad haec omnia ſufficitis tu et Polycarpus. Ego

deinceps ſi Phoebum non posſum, Martem colam, vel rei familiari et agriculturae operam dabo, quae ſecundum ſtudia et optat et laudat Virgilius. At mei ſunt libri, etiam qui apud vos ſunt! Non ego posſidere affecto libros, ſed uti libris; et magis meos judico meis abſentibus alienos praeſentes, qui commodato precariove apud me ſunt, quia frui his licet; illorum tantus mihi uſus eſt, quantus eorum, qui extant nusquam. Sed devolventur omnes ad me tandem pro haereditate! Quam multorum bona ad alios devenerunt, quam lex ſanxit, et teſtator concupivit? Praeterea id incertum eſt, utri noſtrum futura ſit vita diuturnior. Nihil minus ordinem ſervat, quam Mors; ita ille mihi ſuccedere poteſt, ut ego illi. Fac tamen ſuperſtitem; et id aeque dubium, quamdiu ſuperem. Sic interim medium hoc tempus in casſum effluxerit. Nunc, nunc ſtudendum esſet et componendum, cum per aetatem ſenſus viget, ingenium valet, et animus nihil faſtidit; ſenectutis ſi quid accesſerit, dandum erit non tam literis, quam moribus; non tam gloriae mundi, quam animae ſaluti. Haec ipſa, in quibus nunc juveniliter exultantes ludimus, aut omittenda erunt, aut mutanda,

da, et ad bene vivendum a bene dicendo penitus transeundum. Verum ut video, vos, me, tunc legere vultis, cum hebetatis jam luminibus, ſine adminiculis legere non potero. Habes querelam meam; quae ſi vobis gravis eſt, cogitate, quod iniquum ſit, ſpoliatum non ſinere ſaltem lamentari.

XVIII.

Ioannes Episcopus Quinque-eccleſienſis ad Ioannem Gazulo Raguzinum.

Conceptam dudum de vobis expectationem noſtram, rei ipſius experientia non modo facile implevit, verum etiam longe ſuperavit. Vehementer ſi quidem nobis placuit liber ille veſter, quem nuper ad nos miſiſtis. Tanta is doctrina, tanta eloquentia refertus apparuit, ut adeo legenti jucundum, et diſcenti ſe praeſtiterit fructuoſum. Nam fatemur, ſcrupuloſas quasdam veterum aſtrologorum ſententias, quas jam pridem clarius intelligere deſiderabamus, ibidem nobis fuisſe luculenter explicatas. Quamobrem ſerio vos hortamur, ut pergere in ſcribendo, ac coepta opera in finem pro-

ſequi velitis, pariter et ſtudioſorum utilitati, et veſtrae gloriae, et voto noſtro ſatisfacturi. Ceterum rogamus vos quam diligentisſime, ut armillas Ptolemaei, et alia inſtrumenta, de quibus in opere veſtro mentionem facitis, nobis ad expenſas noſtras iſtic apud vos paranda et conficienda procuretis; quoniam nos hic in regno Hungariae ſcitos harum rerum artifices nullos habemus. Quicquid autem fuerit impenſum, curabimus vobis in hac ipſa civitate veſtra, vel alio loco opportuno, plene et efficaciter responderi. Datum---.

XIX.

Ianus Pannonius Ladiſlao Veteſio. S.

Petis ut te inter meos numerem. Tu vero iſtud longe antequam peteres impetraſti. Nam ex quo te utriusque lingvae Muſae inter ſuos asſcripſerunt, jam ex illo amicus mihi esſe coepiſti. Nec refert quod faciem tuam ignoro. Virtus et doctrina etiam in abſentibus facile cernitur. Immo ego tibi gratias habeo, quod me ad mutuam benevolentiam ultro pro-

provocaſti; qui ſi tacuisſes, dignus eras prius rogari. Cave ergo exorasſe te putes, quod tibi ſponte fueram oblaturus, et invitatum te potius exiſtima quam admisſum. Vale. Ex Quinque-eccleſiis, decimo tertio Septembris. An. M. CCCC. LXIX.

(Reſtant tres adhuc epiſtolae Iano Pannonio tributae, una ad Andream Iulium, altera in nuptias Landini (vel Landi) nomine Guarini, tertia ad Thibaldeum poëtam Ferrarienſem ſcripta; quae in editione Carminum Iani Sambucina, tanquam Veronae repertae, primum ab eodem Sambuco in vulgus editae fuerunt. Quas tamen genuinas esſe, praeſtare non posſumus; quod Antonius Thibaldeus (quo de Iovius in Elogiis conſuli poteſt,) ut et Chriſtophorus Landinus, (ſi quidem per literas iſtas: Land. *ille ſit accipiendus.) paullo poſt aetatem Iani floruerunt; veri certe ſimile haud eſt, Ianum Pannonium cum his hominibus literarum commercium habuisſe. Ceterum quicquid tandem ejus rei fuerit, nos tamen noſtrum esſe duximus, has quoque cum lectoribus benevolis communicare.)*

XX.

Ianus Pannonius Andreae Iulio. S. D.

Modo valeas, ego valeo. Accepi literas plenas officio et humanitate; quibus non ſolum opinioni meae respondes,

verum etiam ſuperas. Itaque gratias tibi non ago, certe habeo maximas; qui nunquam me ornare deſinis. Nam tanto mihi ornamento eſt et amor tuus et amoris fama, ut nemo ſit qui his auditis non me esſe aliquid cogitet; cum pro tuo ſubtili et ſincero judicio, te non niſi res egregias amare exiſtimet. Perge, Andrea, et auge hanc hominibus noſtris opinionem. Quod facies, ſi vota mea ita abſolveris, uti ſoles; qui me nunquam fruſtra petentem ſinis. Incumbe igitur per amicitiam noſtram, et tuas huic dignitati vires ac induſtriam adhibe, ut eam nobilis vir potius conſequatur. Exiſtimamus enim, atque adeo perſvaſum habemus omnes amici ejus ac familiares, eum non minorem huic dignitati adhibiturum dignitatem, quam vice verſa. Nolo plura de hac re externus dicere, ne vos in patria induſtrios inſtituere velle videar. Vale.

XXI.

Ianus Pannonius in Nupt. Land. nomine Guarini.

Maximum me diu tenuit deſiderium, ut aliqua nobis praeſtaretur occaſio, qua et meam in te caritatem declarare;

et

et tuo favere honori poſſem, ſicuti ſplendidi mores tui, tua in me obſervantia, et communia ſtudia meruerunt; in quibus me vel ducem vel ſocium vel etiam adjutorem habuiſti. Habeo nunc quod tota mente petivi. Adeſt enim res ecce praeſtantisſima; ſcilicet qua in humanis rebus honeſtior, commodior, jucundior reperiri nulla poteſt. Ea eſt cum ceterarum virtutum, tum vero caſtimoniae mater atque magiſtra, cum intra legitima maris et feminae, humanos coërcet et frenat appetitus, et ſolutos more ferarum evagari non ſinit affectus. Vis utilitatem? Hinc oritur rerum primum ſeminarium, hinc perinde ac immortali catena, civitates colligantur, confirmantur, propagantur. Quid? non et illa eſt cenſenda commoditas, quod egregiorum te civium affinitate locupletas, et nobilium virorum amicitia circumcingis, et gravisſimorum hominum familiaritate magis atque magis ornas? quorum honeſtisſimum ordinem frequenter in hoc loco asſtare video. Quantam vero illam dixerim commoditatem, quae facit dulce patris cognoſcere nomen, ut inquit poëta nobilis; in quo curas omnes moleſtiasque deponis, aut mitigas, ſecundas res partiendo laetiores facis atque majores?

et unus demum ſit animus, una mens, una voluntas * * * *, et aliud doctisſimi viri, aliud nobilisſimi cives. Huic ſiquidem tantae honeſtati, utilitati, jucunditati, quaſi condimentum quoddam, et quidam ſvavitatis cumulus accedunt vir et ſponſa. Qui tanta modeſtia, puritate, prudentia, integritate, moribus optimis, ac ceterarum virtutum ſimilitudine ornantur, ut duo non ſolum una in carne pro praecepto divino, ſed una etiam in vita futuri ſint. Reliquum eſt, ut optemus fauſtum ſelixque utrique matrimonium, ut laetos inter ſe annos exigant, et ſuperſtites non modo ſilios videant, ſed et pignora cara nepotes.

XXII.

Ianus Pannonius Thibaldeo poëtae Ferrarienſi. S. D.

Rogas mi conjunctisſime amice, ut oeſtro poëtico percitus, ex Vngaria tecum aliquid participem. Sed quia numeri laetum animum non doloroſum expetunt; vix proſa ad te licet exarare; adeo ſunt iu patria cuncta incerta, praeſer-

tim

tim a Friderico Auſtriaco, qui cum ſcit regem Sereniſſimum noſtrum et Marte bellicoſiſſimum, occupatum in Turcam, ipſe nova molitur, et aggredi velle in abſentia quosdam fines dicitur. Sed asſvetus jam et ſaepe remoratus ab expeditionibus, tamen vincet duplicato triumpho contra invidos et portas inferi. Me petuita rauca moleſtat cum lippitudine. Sed heus! quando recurris uti promiſiſti? An Eridani Muſae ab Iſtricis barbaris te averterunt? Vale. Budae.

Finis epistolarum
IANI PANNONII.

VITA

Digitized by Google

VITA

IANI PANNONII

A VARIIS CONSIGNATA.

(I.)

Ex Bonſinii Rerum Vngaricarum Decad. IV. Lib. III. p. 413. *Ed. Colon.*

Ioannes Quinqueeccleſienſis antiſtes, Ioannis Vitezii metropolitae e ſorore nepos, qui invitum avunculum in conjurationem attraxerat, audita ejus captivitate, Zagrabiam verſus fugam rapuit, ut ſi a rege forte peteretur, continuo e finibus elaberetur. At poſtquam de metropolitae morte nunciatum eſt, paucis poſt menſibus ſupervixit; quin et eodem anno, geminato dolore correptus interiit; aeternumque ſui deſiderium non minus Pannoniae quam Italiae reliquit. Annos

nos ſeptemdecim ſub Guarini Veronenſis diſciplina fuerat; utramque ab ineunte pueritia lingvam imbiberat. Praeceptor ejus ſaepe dicere ſolebat, ſe nullum adhuc ex Italis, peregrinisque diſcipulum habuisſe, qui praeſtantia, docilitate, foecunditateque ingenii cum Ioanne Pannonio conferri posſet. Si Latine loquebatur, in urbe Roma; ſi Graece, mediis natum Athenis affirmasſes. Nil barbariei actio, et oratio redolebat. Natum ad carmen ingenium reputaveris; in proſa oratione non injucundum. Quodſi in publicis curis et procellis non fluctuasſet, nimirum cum priſcis oratoribus et poëtis certare potuisſet. Praeſtantibus plerumque ingeniis fortuna invidet; et ne pro viribus emergant, intercedit. Quam ſacro baſilicae ſuae collegio carus hic fuerit, hinc conjice. Cum ob regis iracundiam, is quaſi hoſtis rei publicae haberetur, et ſolennia viro juſta nemo perſolvere auderet; ſacerdotes clam ejus corpus in ſacellum Quinqueeccleſienſe retulere, idque picato ſcrinio diu reconditum habuere. Cum multo poſt tempore Matthias, forte urbem illam et baſilicam inviſeret, ſacerdotum regi collegium ſupplicavit, ut Ioannis poëtae corpus, quod diu inſepultum asſer-

va-

varant, prae metu iracundiae ejus; debito ſepulturae honore jam honeſtare pateretur. Indoluit rex tanti viri caſum; falſam eorum opinionem ac metum increpuit; et ne poëta inſignis, ſepulcri honore fraudaretur, honeſtisſimas mox exequias edixit. Pannonicus igitur hunc vates exitum ſortitur. Haec anno ſalutis quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo ſupra milleſimum accidere.

(II.)

Ex Ioannis Pierii Valeriani De Literatorum infelicitate Lib. I. p. 22.

Poterat quidem, Grâna, ſors Leonis Decimi, ſi quis aeque rem perpendat, locupletisſimum humanae infelicitatis exemplum esſe; ſed tua haec Pontificum tot, tam ſummorum quam inferiorum commemoratio admonuit me Iani Quinqueeccleſienſis Antiſtitis; quem quia vobis ignotum arbitror, qui res Pannonicas haud ita forte curaveritis; quia tamen is vir admodum probus fuit, et literarum principatum in ea Provincia tenuit, quod mihi ſuperiore legatione mea a Leo-

Leone Decimo demandata, ſatis exploratum eſt; inſignem quandam hominis calamitatem recitare, a ſermonis quem jam inchoavimus, ſerie, alienum non erit. Nihil enim ejus morte miſerabilius, nihil ejus fortuna fuit unquam infelicius. Quippe is Latinas literas acquiſiturus, ab extremis usque Pannoniis in Italiam transmigravit; Gvarinum Veronenſem, non incelebrem eo tempore Grammaticum nactus, ſub eo ita profecit, ut elegiarum ſcriptor non inelegans haberetur. In patriam demum ad Matthiam Pannoniae Regem ſe contulit; paucisque poſt diebus, beneficentisſimi in literatos omnes Regis voto, Quinqueccleſienſi eſt eccleſiae praefectus. Sed diebus multo poſt paucioribus, vehementer quosdam expertus eſt invidere dignitati ſuae. A quibus cum foede calumniatus esſet, Regi, viro alioqui optimo, ſed nimium credulo, ſuſpectus adeo esſe coepit, ut pro delato nuper honore, vita hominis depoſceretur. Quod periculum Ianus cum impendere ſibi perſpexisſet, fortunamque non ſolum adverſam, ſed funditus everſam intelligeret; declinaturus Regis ferociam, ſperansque diem veritatis parentem meliora paraturam; apud amicum, collegiatae cujusdam eccleſiae prae-

po-

poſitum, inſtituit deliteſcere, ibique omnibus ornamentis atque praeſidiis privatus, iisque amisſis, quae erat maximis et laboribus et vigiliis adeptus; miſerabili ſolitudine ita contabuit, et plenus timoribus et miſeriis, nulli deinceps neque cognitus, neque viſus, gravi diuturnaque dyſenteria vexatus, occubuerit. Clanculumque ab hospite in arcam pice oblitam incluſus, per duos ferme annos inſepultus adſervatus eſt. Neque perpetua tamen fuit Matthiae Regis indignatio; qui aliquo poſt tempore, cum furor iſte deferbuisſet, de Iano demum cogitare coepit. Mirificum enim huic ſuccesſerat Iani deſiderium, diuque de homine percontatus, cum inveniri nusquam reperisſet, praemium etiam indici propoſuit; forteque accidit, ut Rex ergo rei ſacrae templum id inviſeret, cui Iani hoſpes praefectus erat; qui ad Regis pedes accidens, veniam prius deprecatus eſt, quod tanti Regis exulem apud ſe recepisſet. Qua impetrata, Si vis, inquit, o Rex, Ianum tuum invenire, diaetas noſtras inviſere ne graveris; ibi enim Ianum apud me latitantem deprehendes. Nihil conctatus Rex, contiguas templo hospitis hujus aedes ingreditur; qui oſtenſo illi ligneo conditorio

pice perlito, et in arcae familiaris ſpeciem fabrefacto; Illic, inquit, Ianus tuus jam biennium deliteſcit, et tui et Regum omnium ſecurus. Quare te obſecro, ut promisſi praemii loco patiare tantum, cadaver ejus, ut Praeſulem decet, honorifice ſepeliri. Converſum eſt Regis gaudium in apertisſimam moeſtitiam atque miſericordiam, et aedituo non tantum indulſit, ut Ianum ſepeliret, verum pro officio et pietate, quam erga Ianum exhibuerat, eum, in ejusdem eccleſiae, cui Ianus praefectus fuerat, Episcopum ſurrogari procuravit. Eoque tunc demum tempore, Ianus, Regis ſui judicio honeſtatus eſt, quo nullo honorum ſenſu affici poterat, nulla rerum humanarum voluptate deliniri. Finierat Pollio; omnesque indignam infelicis Antiſtitis ſortem miſerari videbantur; erantque e noſtris, qui cum lucubrationes hujus inſpexisſent; et induſtriam et ingenium hominis haud improbarent.

(III.)

(III.)

E Davidis Czvittingeri Hungaria Literata, p. 287. ſqq.

Ianus Pannonius vitalem in Hungaria hauſit auram, Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto, parentibus haud ignobilibus. Mater quidem Barbara, ante ipſum rebus exemta eſt humanis; qua de cauſa felicem quoque eam praedicavit (*Eleg. Lib.* I. *Eleg.* IX. v. 103. *ſq.*)

Tu vero (*inquiens*) multum felix carisſima mater,
Cui cadere ante meas contigit exequias.

Fratrem vero et ſororem, ipſo vivente adhuc ſuperſtites fuisſe, ex eadem patet elegia, in qua cecinit h. m. (v. 101. *ſq.*)

Heu! quod nec frater, nec adeſt ſoror optima nobis,
Quae digitis oculos condat, et osſa legat.

Nepos alias etiam is ipſe fuit e ſorore, Ioannis Vitézii Metropolitae Strigonienſis. Quamvis autem in S. baptismate, Ioannis nomine fuerit inſignitus, imitatione tamen clarisſi-

morum poëtarum, tum veterum, tum recentium, Ianus, maluit appellari; prout rei hujus rationem ipſe reddidit in Epigrammatibus, verbis metro alligatis h. m. (*Epigr. Lib.* I. *Epigr.* CXXX.)

Ioannes fueram, Ianum me pagina dicit,
Admonitum ne te, Lector amice, neges.
Non ego per faſtum ſprevi tam nobile nomen,
Quo nullum toto clarius orbe ſonat.
Compulit invitum mutare vocabula, cum me,
Lavit in Aonio, flava Thalia, lacu.

Poſtquam puerilem aetatem ſtudiis ei convenientibus in patria confecrasſet, ſequenti deinceps tempore, ope operaque fratris matris ſuae in Italiam profectus, Ferrariae ſubſtitit; ubi annos ſeptemdecim ſub Guarini Veronenſis disciplina apprime profecit. Atque in ſtadio poëtico duce potisſimum uſus eſt Galeotto Narnienſi; ceu ipſe Ianus (*Elegiarum Lib.* II. *Eleg.* IV.) fasſus eſt:

Si Galeotte, meo te collaudavero verſu,
Det veniam nobis cetera turba, precor.
Et, ſi verſiculos facio non prorſus inertes,

Doctri-

Doctrinae, fateor munus id eſſe tuae.

Per te conſcendi celſas Heliconis in arces,

Gorgonei fontem pes ubi rupit equi.

Ceterum injuria fortunae et temporum, (quae duo praeclaris ingeniis, quo minus feliciter emergant, plerumque obſtitisſe, obſervata ſunt,) caſtra aliquamdiu ſectatus eſt Ianus, Marti magis deditus quam Cupidini; ſicut ex erudita illa Elegia (*Eleg. Lib.* II. *Eleg.* VIII.) quam Tito Strozzae poëtae Italo praecipui commatis, inſcripſit, clarum eſt. Nil minus tamen, non admodum denique ab amore et feminis alienus fuisſe, ex Epigrammatibus evincitur. Ex Italia redux, Quinqueeccleſienſis in patria Praeſul conſtitutus eſt, ceu ex elegiarum ejus (*Libro* I. *Eleg.* VI. v. III.) colligere eſt:

At poſtquam patriae me reddidit Itala tellus,

Obtigit et juveni Pontificalis honos.

Quod Episcopale munus ſplendidisſimum, cum plures per annos, plurimis meritis oppido egregiis condecorasſet, atque validisſimis favoris amorisque nexibus, Episcopatui ſuo ſubjectos ſibi obſtrinxisſet, multaque in Eccleſiarum aedificatio-

nem, Clericorumque ſuſtentationem beneficia erogasſet, tandem morbo correptus naturae concesſit. Quam carus autem is fuerit ſacro Baſilicae ſuae Collegio, vel hinc conjicere licuerit. Cum nempe is ob regis Matthiae iracundiam, quaſi hoſtis Reip. haberetur, et ſolemnia viro juſta nemo perſolvere auderet, Sacerdotes clam exanime ejus corpus in Sacellum Quinqueeccleſienſe retulere, idque picato ſcrinio diu reconditum habuere. Cum autem multo poſt tempore Matthias Rex Hungariae, forte urbem illam et Baſilicam inviſeret, Sacerdotum Collegium Regi ſupplicavit, ut Ioannis poëtae corpus, quod diu inſepultum adſervarant, prae metu iracundiae ejus, debito ſepulturae honore jam honeſtare pateretur. Indoluit Rex tanti viri caſum; falſam eorum opinionem ac metum increpult; et ne poëta inſignis ſepulcri honore fraudaretur, honeſtisſimas mox exequias edixit. Pannonicus igitur, inquiente Bonfinio Decad. 4. lib. 3. hunc Vates exitum ſortitus eſt. Haec anno Salutis quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo ſupra milleſimum accidere. Tumulo ſuo ipſe Ianus hexaſtichon inſcribi mandavit iſtud: (*Eleg. Lib.* I. *Eleg.* IX. v. 115. *ſqq.*)

Quin

Quin etiam tacita jaceam ne ignotus in urna,
Signari hoc cineres carmine mando meos:
Hic ſitus eſt Ianus, patrium qui primus ad Iſtrum,
Duxit laurigeras ex Helicone Deas.
Hunc ſaltem titulum Livor pemitte ſepulto,
Invidiae non eſt in monumenta locus.

Enimvero Ianus iſte, Hungariam Graecae potisſimum Latinaeque lingvae ſcientia egregie nobilitavit; quod ex elegantisſimis ejus operibus, tam ſuo marte conditis, quam e Graeco in Latinum verſis, abunde poteſt cognoſci. Et quidem ad Graeca Latine reddita quod attinet opuscula; Diomedis et Glauci congresſum ex Homeri VI. Iliad. Latino carmine expresſit. Deinde Bruti et Galbae in Plutarcho vitas Latinas, Pannonio interpreti omnino tribuendas esſe, Io. Sambucus in praefat. Poëmatibus Iani Pannonii praemisſa affirmavit verbis hisce: quod ipſum de libro Veronae a me viſo et a Guarino emendato, teſtis oculatus confirmo; quin et Cteſiphontis verſionem ab eodem Pannonio profectam fuisſe ait in eadem praefatione: qui (ſcil. Sambucus) pro Cteſiphonte, hujus ipſius quoque (nempe Pannonii) ver-

ſionem pene abſolutam habeo. In poëſi Latina quid Ianus praeſtiterit, ſcripta ipſius metrica docere queunt, typis excuſa haec ſequentia: Sylva panegyrica et Epigrammata quaedam, Baſileae apud Io. Frobenium A. 1518. in 4. Ejusdem Poëmata Venetiis impreſſa apud Gvalter. Scottum 1553. in 8. cum Lazari Bonamici carminibus nonnullis. Item Baſileae ab Oporino in 8. ſuntque haec: Ad Gvarinum Veronenſem panegyricus: Ad Iacobum Ant. Marcellum Venetum panegyricus: Ad Fridericum III. Imp. pro pacanda Italia Carmen: Diomedis et Glauci congreſſus ex Homer. 6. Iliad. Latino carmine redditus. Elegiarum liber unus. Epigrammata. Additae ſunt his Elegiae duae Baptiſt. Guarini junioris ad Ianum Pannonium. Ejusdem Panegyrici duo et Epigrammata, ultra omnes editiones alias ab Ioann. Sambuco edita Patavii. Ceterum Poëmata Iani Pannonii vulgata ſunt a Io. Philipp. Pareo in Deliciis Poëtarum Hungaricorum, Francofurti A. 1619 in 12 editis, eaque ſe excipiunt h. m. 1. Panegyricus primus, dictus Guarino Veronenſi praeceptori ſuo. 2. Panegyricus ſecundus, dictus Marcello, Duci Venetorum. 3. Ad Imp. Caeſ. Frideric. III. pro pacan-

da

da Italia. Reliqua tum Heroico, tum elegiaco genere, de variis materiis ad varias perſonas elaborata carmina, lubens jam praetereo; quippe quae, cuivis eadem noſse aventi, paulo ante citatae Deliciae Poëtarum Hungar. decenti ordine ſuppeditabunt. Praeter iſta in Lectorum manus miſsa opuscula, quin plura adhuc alia in ſcriniis ejusdem recondita fuerint diligentiae monumenta, vel illa me dubitare non ſinunt, quae de MStis illius, in Bibliotheca Budenſi repertis, Iulius Pflugk tradidit in Epiſtol. ad Vit. Ludov. a Seckendorf. Ex tribus, inquiens, ſelectis codicibus MStis erat etiam chartaceus quidam codex in quarto, continebatque Ioan. Episcopi Quinqueeccleſienſis, qui tempore Regis Hung. Matth. Corvini claruit, poëmata quaedam Latina miſcellanea. Eundem Pannonium Annales Hungariae Heroicis verſibus uno in volumine colligasſe, refert Sambucus in praefat. Poëmatibus Pannonii praefixa, ubi ait: Multa ſcripſit Ianus, meditatus eſt plura, numeris et perpetuo ſtilo. Quorum quidem optima quaeque vel interciderunt, vel potius ab odio et invidia, ne lucem adſpiciant, ſuoque tempore jugi fruantur, alicubi premuntur. Annales certe Patriae,

ae, Heroicis ipſum verſibus uno in volumine colligasſe multi norunt. Quibus conficiendis quantum ipſe ſe ſuperarit; facile ex admiranda Marcellina Panegyri (quam una cum aliis, doctisſimus et felix poëta Hilarius Cantiuncula, Venetiis edi curarat,) quisque ſecum cogitabit. Vtinam quidem, pergit l. c. Sambucus, hi Annales ejus, aliquando Viennae a me conſpecti et lecti prodeant, carcereſque perfringant! Non ſecus, me Deus! atque Ciceronis aut Livii quae periere, mecum excipienda ducerem. Tantum quisque huic vati jure tribuendum cenſeat. Quodſi Vulcano vel Iſtro ſunt tradita, vel, ut quidam non disſimularunt, excrementis humanis, loco abdito, foraminibusque putruere, Manes invidorum luant poenas, quod φθόνος ἔξω τοῦ θείου θρόνου ἵσταται. ut eſt in Phaedro.

Iudicia de hoc Pannonio ab optimis quibusque auctoribus, quam optima lata, ſi heic adducere conarer, profecto plures iisdem paginae implendae esſent. Ex maximo igitur eorum numero nonniſi ſequentia afferre libet: B. Rhenanus in epiſtola ad Io. Sturmium perſcripta, verbis mentem ſuam expoſuit hisce: Sic hujus me lectio, etc. *Videſis totam epiſtolam inter praefationes.* Ius-

Iuſtus Lipſius in Epiſtola ad Ianum Lernutium, ſtatim in limine ait: Inter noſtros Poëtas Lotichium amo; Ianum Pannonium aeſtimo, Scaligerum patrem admiror.

Bonſinius Decad IV. Lib. 3. Ianus Pannonius etc. *Vide locum Bonſinii ſuperius allatum.*

Io. Sambucus in praef. poëmatibus Iani praemiſſa cet. *Vide eam inter praefationes.*

Io. Alexander Braſſicanus Epiſt. de Bibliothecis: Superiore aetate complures magni ac eruditi viri floruere; e quorum numero primas habent, Rodolphus Agricola Friſius; Ianus Pannonius Epiſcopus Quinque-eccleſiarum, Ioannes Trithemius Abbas etc.

Paul. Iovius in Elog. Viror. literis illuſtr. fol. 224. Sacrati ordinis Antiſtes, literarum atque virtutis ſtudio praecellens Ioannes Pannonius, aeterno poëmate edito ſtabili fama commendatus.

Volaterranus Anthropolog. Lib. 21. fol. 245. Fuit et Vngaretus cognominatus vir Pannonius, in numero diſcipulorum Varini Veronenſis Ferrariae, poſtea praeſul Quinqueeccleſienſis; qui Graece Latineque, ſive carmina ſive pro-

ſam

ſam ſcriptitabat, ut non Barbarus ſed Romanus, legitime imbutus videretur.

Ioh. Petr. Lotichius, Biblioth. Poët. Part. IV. pag. 27.

Pannonius vates coryphaeus Pannonas inter,
Sidera ceu Titan eminet inter, ovat.
Thejologus, miles, vates in utrumque paratus,
(Vates praecipuos quod decet) ille fuit.

Idem ibidem: Ianus Pannonius Hungarus, excellens ſui ſeculi poëta, teſtimonio fuit illuſtri, Hungariae, patriae ſuae, diuturnis abhinc bellorum tumultibus implicitae, juxta fortitudinem atque rei militaris ſcientiam, quibus prae aliis regionibus hactenus inclaruit, nunquam praeclara ingenia, Muſarum pariter gloria triumphantia defuiſſe. Vnus ſiquidem Pannonius iſte, praeeunte natura admodum nutricia et benigna, labore, lucubrationibus atque exercitatione, tantum bonorum honorisque aſſecutus eſt, ut unus facile in patriae ſuae ornamentum, eo tempore, ſufficere poſſe videretur.

Eraſmus Roter. in Epiſt. ad Ioh. Turzonem Vratiſlavienſ. Episcop. Novum non eſt, apud Hungaros eſſe praeclara in-

ingenia, quando Ianus ille Pannonius, tantum laudis meruit in carmine, ut Italia ultro illi herbam porrigat.

Iudicium Hieronymi Wolfii de Iano Pannonio vide ſis in Emblematibus Reusneri fol. 339.

Ipſe Ianus Pannonius tale de ſe ipſo tulit judicium, ſequenti pentametro incluſum: (*Epigr.Lib.* I. *Ep.* CCCXL. v. 4.)

Ille ego Pannoniae, gloria prima meae.

Quod ſane non tam vanae alicui jactantiae, quam famae publicae, ex veritatis fonte promananti in eum derivatae fuerit adſcribendum.

De eodem Iano judicium apud Aeneam Sylvium reperitur hocce:

Ex Hungaris qui ſtudia humanitatis ſecuti aevo noſtro claruerunt, duos novimus, Ioannem Epiſcopum Varadienſem, qui Regni Cancellariam obtinuit, et alterum Ioannem, ejus ex ſorore nepotem, qui ſub Guarino Veronenſi Graecas ac Latinas literas didicit, nec minus verſu, quam ſoluta valet oratione.

(IV.)

(IV.)

Ante editionem Budenſem A. 1754.

Ignatius Norbertus Conradi, de vita et ſcriptis Iani Pannonii.

Ianus Pannonius, inſigne litterarum Hungariaeque decus, ſeculo XV. natus eſt, matre Barbara Veteſia; quam pietate ſumma coluit ſemper, nomenque et virtutes immortalitati, Θρήνῳ de morte ejus ſcripto commendavit. Humanis exceſſit, cum Ianus felici fortuna uteretur; (*Eleg. Lib.* I. *Eleg.* VI. v. 133. *ſq.*)

Mater Iö cur me (ait) *nunc inter proſpera linquis?*
Hoc tibi vivendum tempore, mater, erat.

Felicem vero iterum praedicat, quod ante ſe diem obierit ſuum; (*Eleg. Lib.* I. *Eleg.* IX. v. 103. *ſq.*)

Tu vero multum felix (inquit) *chariſſima mater,*
Cui cadere ante meas contigit exequias.

Haec de matre. Patris nulla apud Ianum eſt recordatio. Habuiſſe vero ſorores fratremque, ex his conſtat. Ait enim in Θρήνῳ de obitu matris: (v. 137. *ſq.*)

Pu-

Pupillae certe nondum nupſere ſorores,

Turba magiſteriis inſtituenda tuis.

tum quod ex febre prope moriturus queratur; (*Eleg. Lib.* I. *Eleg.* IX. v. 101. *ſq.*)

Heu! quod nec frater, nec adeſt ſoror optima nobis,

Quae digitis oculos claudat et oſſa legat.

Nobili genere ortum fuisſe, contra quam Ranſanus prodidit, ex illo ad Vgonem conjicio: (*Epigr. Lib.* I. *Ep.* CCCV.)

Divitior cum ſim, cum ſim te junior Vgo,

Sangvinis et clari nobilitate prior.

etſi fortunae domeſticae, ut ſaepe ſit, ſangvinis claritati minime responderent. Ita enim matrem alloquitur: (v. 101. *ſq.*)

Quicquid lana tibi, quicquid tibi tela lucelli

Contulerat, merces erudientis erat.

De natali loco quod dicam, nihil certum habeo atque expeditum. Ad Dravum natum esſe ipſe teſtatur hoc carmine: (*Epigr. Lib.* I. *Ep.* CCCXXXVIII.)

Ille ego et haec cecini Dravum generatus ad altum.

Niſi forte in Sirmienſi provincia, patria ejus ponenda ſit.

E Dalmatia ſane oriundum facit Ranſanus et Baptiſta Guarinus in ſua ad Ianum epiſtola: (*in Append. Eleg*, II. v. 5. *ſqq.*)

Quando erit illa dies (exclamat) *qua tecum viſere posſim,*
Littora ſaxoſae proxima Dalmatiae.
Illyricumque latus, Dravus quas irrigat oras,
Et glaciem gelidi, cernere Danubii.

Ceterum etſi nulla omnino civitas certo ſibi de ejus natali gloriari posſit, eam tamen laudem Dravus habet, omnisque Hungaria. Natalis ejus dies ad exitum Auguſti incidit, quemadmodum ipſe duplici epigrammate ſignificat, quae hactenus inedita a Sambuco, cum nonnullis aliis a Cl. Franc. Adamo Kollario, Bibliothecae Auguſtae cuſtode, mecum communicata hoc loco referenda ſunt. (*Epigr. Lib.* I. *Ep.* CVII. et CCVIII.)

Sextus et hic decimus vitae mihi labitur annus,
Narravit nato, ſi modo vera, parens.
Septimus incipiet Septembres ante Kalendas,
Si modo producant tres mihi fila Deae.

Item:

Sex-

Sextus hic et decimus vitae mihi ducitur annus,
Si verum nato rettulit ipſa parens.
Septimus incipiet, medio cum ardebit Olympo,
Menſis ab Auguſti tertia fine dies.

Nomen is Chriſtianis ſacris initiatus Ioannis, quod ſui erat avunculi, obtinuit; quod tamen pro more illorum temporum, quo eruditi homines, ut ingenio, ita et nominibus a vulgo differre affectabant, in alterum Iani commutavit; quod ipſe prodidit, causſasque nominis immutati affert hoc carmine: (*Epigr. Lib.* I. *Ep.* CXXX.)

Ioannes fueram, Ianum quem pagina dicit,
Admonitum ne te, Lector amice, neges.
Non ego per faſtum ſprevi tam nobile nomen,
Quo nullum toto clarius orbe ſonat.
Compulit invitum mutare vocabula, cum me,
Lavit in Aonio, flava Thalia, lacu.

Eruditus primis litterarum elementis in patria, Ioannis Viteſii, avunculi ſui beneficentia in Italiam miſsus eſt, quod ipſe confitetur; ait enim ad matrem: (v. 103. *ſqq.*)

Imbiberam tenerae, vix prima elementa Minervae,

Nec mala venturi jam documenta dabam;

Cum tuus Auſonias, tradit me frater, ad oras,

Longinquo et Muſas quaerere in orbe jubet.

Venetias itaque primum, atque inde Ferrariam profectus eſt; qua in urbe Latinitatis reſtitutor Guarinus egerat; cujus inſtitutionibus uſus eſt annos XI. Graecas ac Latinas litteras induſtria ſingulari ac ſtudio didicit. De Latinis argumento ſunt haec ipſa poëmata; in quibus perpetuo nitore dicendi ac venuſtate, ad aureae aetatis ſcriptores quam proxime accedit. Vnde praeceptor ejus Guarinus ſaepe dicebat, teſtante Bonfinio, ſe nullum adhuc ex Italis peregrinisque diſcipulum habuiſſe, qui praeſtantia, docilitate, foecunditate ingenii, cum Iano Pannonio conferri potuiſſet. Tum ſi Latine loquebatur, in urbe Roma; ſi Graece, mediis natum Athenis affirmasſes. Graeci quidem ſermonis cognitionem habuiſſe teſtatur Glauci et Diomedis congresſus, ex Homeri Iliade Latine redditus; tum etiam Bruti et Galbae ex Plutarcho vitas Latine interpretatas Pannonio deberi Sambucus αὐτόπτης affirmat; nec non Cteſiphontis verſionem. Adeatur Sambuci praefatio ad Pannonii poëmata. Vnde

de mirari ſatis non poſſum Aldum Manutium in ſua ad Ianum Vérthefium Pannonium Athenaei inſcriptione haec habere: Quantum gratuler tibi, Iane, quantum ipſi Hungariae, non facile dixerim, quod tantum jam profeceris Graecis litteris, nondum annum audiens Muſurum Cretenſem, idque Venetiis; ut primus Graecas Muſas Attice loquentes, brevi relaturus in patriam videare. Retulit enim multo jam ante a Guarino Ianus hic noſter. De quo iterum Aldus: Retulit vir ille, Ianus inquam Pannonius nunquam ſatis laudatus in patriam primus Latinas Muſas; tu et Latinas et Atticas, Muſuro doctore, relaturus videris. Graecae itaque lingvae cognitione Ianum excelluiſſe minime dubitandum eſt. Quod ipſum ei, cum ad Poëſeos laudem, tum Eloquentiae, magno adjumento fuit. Ceteros inter ſcriptores, unum maximi feciſſe viſus eſt in adoleſcentia ſua Martialem, cujus in ſe mentem transfundi petit in illo ad Martialem: (*Epigr. Lib.* I. *Ep.* CCXLI.)

Tu vatum optime, culte Martialis,
Ludorum pater, et pater leporum,
Qua poſſum ſequar meis in libellis.

Nec Phoebum libet, aut vocare Muſas,
Vt coeptis properent adeſſe noſtris.
Vnum te omnibus e Deis vocamus,
Noſtras labere totus in medullas.
Mentem certe ego ſi tuam merebor,
Iam noſtrae dabo, crede, commeatum.

Et feliciter, quod petiit, conſequutus eſt, primis ſtatim adoleſcentiae annis. Anno enim XVI. jam eleganter multa ſcripſit, quae ſub titulo: *Iuveniles luſus*, a Sambuco, anno M. DC. XIX. edita ſunt. Haec ingenii vis, quae Iano a natura oblata eſt, et exercitatione optimisque praeceptis aucta, et confirmata, multos ei in politiſſima Italia, amicitia et officiis conjunxit; Venetiis Marcellum, quem, ob res deinde belli praeclare geſtas, non cum Marcello ſolum illo Romano comparat, ſed Fabiis etiam et Scipionibus anteponit. Huic amiciſſimum fuiſſe Ianum adoleſcentem, inde luculenter apparet, quod ſtudia omnia ſua cum eo communicaverit. Audi eum ipſum loquentem: (*Epigr. Lib.* I. *Ep.* CCCXXXIX. v. 3. *ſqq.*)

Nos in amore rudes, Marcelli luſimus ignes,

Quos

Quos modo vulgari luſerat ille lyra.
Sive voles cultos Itala teſtudine rhythmos,
Ille dabit, quales ante Petrarcha dedit.
Seu cupias Elegos Latia ſub lege ſonantes,
Sumetur vacuo, pagina noſtra tibi.

Ex quo facile quisque conjiciet, ea, quae de amoribus, in Iuvenilibus luſibus referuntur, a Marcello Italice primum ſcripta, a Iano Latine pronunciata fuiſse. Ceterum illud unum ab humano lectore peto, ut inter Ianum adoleſcentem atque Antiſtitem diſtingvat, nec vitia adolescentiae, cum virtutibus optimi Antiſtitis confundat. Sed his in medio relictis, cetera Iani noſtri amicitiae et ſtudiorum genera perſequamur. Ferrariae amicitiam omnium maximam coluit cum Tito Vespaſiano Strozza, cujus inſignis erat Ferrariae Bibliotheca, qua Ianus plurimum uſus eſt. Exſtant ejus ad Ianum noſtrum epistolae, carmine elegantisſimo ſcriptae, quae verum illud esſe confirmant; in Strozziana domo, fatali; quod Muretus ait, quadam lege, poëſim haereditariam esſe. Potisſimum argumentum epistolarum Strozzianarum eſt amor; contra Iani responſiones, incommoda et pericula ejus oſten-

dunt. Martium praeterea Galeottum Narnienſem virum humanisſimum et poëtam ſingularem ſuos inter amicos numeravit. Erat hic Iani noſtri σύντροφος, ſtudiorumque ſocius, ac in Poëticis inſtitutor, quod grato animo praedicat. Galeottum vero hunc, virtutis ſtudioſisſimum Ianus teſtatur; qui demum Bononiae M. CCCC. LXII. profesſor exſtitit. Inde ad formandum Matthiae Corvini filium, ex Italia demigravit; librumque de Matthiae jocoſe dictis conſcripſit. Eum certe Poëſeos auctorem habuit, et inſtitutorem. Ait enim: (*Eleg. Lib.* II. *Eleg.* IV.)

Si Galeotte meo, te collaudavero, verſu,
Det veniam nobis cetera turba, precor.
Et, ſi verſiculos facio non prorſus inertes,
Doctrinae fateor munus id esſe tuae.
Per te conſcendi celſas Heliconis ad arces,
Gorgonei fontem pes ubi rupit equi.

Quare Montaigna, pictor ſui temporis illuſtris, ad commendandam Galeotti et Iani conjunctionem, celebrandamque memoriam amicitiae duorum hominum, virtutum et litterarum ſtudio clarisſimorum, una in tabella utrumque effinxit, de

quo

quo hoc Iani exſtat carmen: (*Eleg. Lib.* I. *Eleg.* II.)

Qualem Pellaeo fidum cum Rege ſodalem

Pinxit Apelleae gratia mira manus;

Talis cum Iano tabula Galeottus in una,

Spirat inabruptae nodus amicitiae.

Haec Poëſeos dignitatem in Iano oſtendunt. Non tamen exiſtimandum a ceteris pulcerrimis diſciplinis vacuam mentem eum in Hungariam retulisſe. Nam quod praeclare Gulielminus ait:

- - - - placet esſe poëſim,

Quod color eſt rebus, rerum ſubſtantia plena eſt.

Ita Ianus, Poëſis quibusdam coloribus, amplisſimam eruditionem ſuam, Philoſophiaeque ſtudia ornavit. Quis leget attentius Guarini aut Marcelli Panegyricum, quis demum ad Fridericum, ut non univerſae Mythologiae, Geographiae ac Politices ſcientiam in Iano praedicet? Vt mihi ea, ubertate eruditionis potius peccasſe videatur, quam multarum rerum cognitionem ei defuisſe. E quo illud etiam apparet, non temere involasſe in Muſarum ſacraria Ianum, ſed ſubacto omnibus in litteris ingenio; ut non verba tantum, ſed

ſelecta cogitata, et res ſucci plenas et ſangvinis afferret. Habuit ad haec ipſa ſtudia duces, viros clarisſimos, Aretinum in Iuris ſcientia, qui Ianum noſtrum et plurimum amavit celebravitque laudibus; Andronicum dein Philoſophiae Peripateticae praeceptorem audivit; ac omnium maxime Marſilium Ficinum, quem ingentem appellat; Marſilium inquam, qui Platonis Philoſophiam Seculo XV. revocavit. Ejus Philoſophandi ratione delectatum esſe Ianum, e carminibus patet; maxime in illo de anima ſua. Quod ſane mirandum non eſt, neque ideo tantum, quod Marſilii laudes tota Italia celebratae ſint, ſed quod cum aeſtu poëtico Platonismus mirifice conſentire videatur. Elegans eſt etiam illud, quo Platonis animam in Marſilium transmigrasſe Ianus cecinit: (*Epig. Lib.* I. *Ep.* CCXXXVI.)

Nuper in Elyſiis animam dum quaero Platonis,
Marſilio Samius, dixit inesſe, ſenex.

His itaque diſciplinis ornatus, auctusque amicitia praeſtantisſimorum hominum, remeavit in Hungariam; in qua ſperare virtutis ſuae praemia poterat maxima; cum quod Ioannis Vitéſii avunculi, magna apud Matthiam Regem esſet autho-

ri-

ritas; cujus potisſimum opera, poſt varias jactationes, Regiis honoribus in campo Peſtano auctus eſt; tum etiam, quod rerum ſumma penes eum esſet Principem, qui digna virtutibus ſtatueret praemia, et maximos Principes non belli tantum, ſed litterarum etiam laudibus aemularetur. Militiae primum nomen dedit, ut ſevera hac Martis diſciplina, ad majorum laudes animum efformaret, ſeque ad omnem in re publica Hungariae fortunam obeundam compararet cum dignitate; ſed acerba valetudo, quae tenerum Iani corpus ſtudiis confectum, atroci ſaepe febri vexavit, mutare conſilia coëgit, ut animum ad procuranda Dei ſacra adverteret. Nec dubitandum hortatorem extitisſe Ioannem Viteſium, eumque ſacris initiasſe. Hinc juvenis admodum Quinque Eccleſienſi infula a Rege ornatus eſt, ut ipſe de ſe fatetur: (*Eleg. Lib.* I. *Eleg.* VI. v. 112.)

Contigit et juveni Pontificalis honos.

Quo in honoris quodam apice conſtitutus, probitate et modeſtia Sacerdotum ſuorum collegium in ſui amorem fidemque attraxit, quod ex triſtisſimo vitae illius exitu luculenter apparet. Humanitate Hungariae Proceres coluit, quos inter

eminuit Criſpus ſeu Fodor, vir legationibus cum laude obſitis illuſtris, et Sirmienſi infula donatus. Regi ita demum fidem ſuam, ſemperque ad res gerendas expeditum conſilium probavit, ut in comitiis Szegedini habitis, ad auxilia adverſus Turcarum vim et potentiam, a Romano pontifice, ceterisque Italiae Principibus exoranda, Legatus mitteretur. Quo in munere ita verſatus eſt, ut eloquentiae ſuae laudem referret; et rebus optime apud Venetos et Florentinos actis, a Romano Pontifice, purpuratorum patrum decreto, aureorum millia quotannis in belli ſacri ſubſidium conſtituerentur. Poterat feliciſſimus videri Ianus, qui maximi Regis gratia effloruit, et exterarum Gentium laudes, atque admirationem, litterarum gloria ſibi paravit; ſed Fortuna ludum inſolentem ludere pertinax, ideo Ianum noſtrum, praecipitatis honoribus in lumine rei publicae collocare viſa eſt, ut eum oſtenderet tantum, et quantum in maxima ingenia poſſet, palam faceret. Triſtiſſima nempe eum calamitate, cum maxime florere videbatur, involvit, et morte nunquam ſatis deploranda nobiliſſimum hoc ingenium exſtinxit. Calamitatis hujus cauſam ex Bonfinio hanc habemus; Opera Iani Antis-

tiſtitem Strigonienſem avunculum, in conjuratioue adverſus Matthiam Regem, illo invito uſum fuisſe; eumque cum Proceribus nonnullis conſtituisſe, ut Caſimiro, regis Poloniarum filio, exauctorato Matthia, regni inſignia traderentur. Proditione detecta (ait idem) ad animum Antiſtitis Strigonienſis ſibi conciliandum, Emericum Scepuſienſem et Palatinum, Procerum conſilio rex delegit; qui provincia hac praeclare functus, Regem inter et principem Hungariae Antiſtitem, amicitiam fidemqne reſtituit. Pacata dein Hungaria, et Caſimiro extra confinia regni ejecto, Ioannes Antiſtes Strigonienſis, gravisſimi colloquii causſa Budam accitus, Vicegradum cuſtodiendus deportatur; Qua e calamitate conceptoque dolore, licet non multo poſt ob meritorum memoriam dimisſus, anno eodem M. CCCC. LXXI. humanis excesſit. Ioannes itaque Pannonius, avunculi ſui fato caſibusque vehementer agitatus, metu impendentis mali Zagrabiam effugit, et morte Metropolitae, in quo rerum ſuarum praeſidium conſtitutum habebat, audita, paucos poſt menſes, ut Bonfinius ait, geminato dolore correptus interiit; aeternumque ſui deſiderium, non minus Pannoniae quam

Ita-

Italiae reliquit. Cauſas vero acerbisſimae hujus fortunae alias affert Pierius Valerianus, nomine Pollionis; qui in Hungaria ſub Leone X. legatione fungebatur. Nihil ejus morte miſerabilius, ait, nihil ejus fortuna fuit unquam infelicius; Quippe is Latinas litteras acquiſiturus, ab extremis usque Pannoniis, in Italiam transmigravit. Guarinum Veronenſem non incelebrem Grammaticum nactus, ſub eo ita profecit, ut elegiarum ſcriptor non inelegans haberetur. In patriam demum ad Matthiam regem ſe contulit, paucisque poſt diebus, beneficentisſimi in literatos omnes Regis voto, Quinque-Eccleſienſi Eccleſiae eſt praefectus. Sed diebus non multo poſt paucioribus, vehementer quosdam expertus eſt invidere dignitati ſuae; A quibus cum foede calumniatus esſet, Regi, viro alioquin optimo ſed nimium credulo, ſuſpectus adeo esſe coepit, ut pro delato nuper honore, vita hominis depoſceretur. Quod periculum Ianus cum impendere ſibi perſpexisſet, fortunamque non ſolum adverſam ſed penitus everſam intelligeret, declinaturus Regis ferociam, ſperansque diem veritatis parentem meliora parituram, apud amicum, collegiatae cujusdam Eccleſiae Praepoſitum, inſti-

ſti-

ſtituit deliteſcere. Ibique omnibus ornamentis atque praeſidiis privatus, iisque amisſis, quae erat maximis et laboribus et vigiliis adeptus, miſerabili ſolitudine ita contabuit, ut plenus timoribus et miſeriis, nulli deinceps neque cognitus neque viſus, gravi diuturnaque dyſenteria vexatus occubuerit. Invidiam ipſe Ianus ſemper inſelicitatis ſuae cauſam faciebat. Dum enim Lud. Tubero Lib. III. de ſuis temporibus, ſcripſisſet Ianum Pannonium, poëtam aetatis ſuae clarisſimum, dum Polonis rebus ſtudet, haud integra fide in Matthiam Regem exſtitisſe; ſubjicit; Quanquam ille et dum vixit asſeverare non dubitavit, ſe nulla ſua culpa, verum invidia in iram Matthiae regis incidisſe; et moriens verſiculis abs ſe compoſitis Regisque permisſu ſepulcro inſcriptis, idem teſtatus eſt. Quos ſane hunc in modum editos legimus: (*Eleg. Lib.* I. *Eleg.* IX. v. 117. *ſqq.*)

Hic ſitus eſt Ianus, patrium qui primus ad Iſtrum,
Duxit laurigeras ex Helicone Deas.
Hunc ſaltem titulum, Livor, permitte ſepulto,
Invidiae non eſt in monumenta locus.

Videri poterat cum ipſa vita fortunae crudelitatem deſiisſe,

ſed

ſed illa ſacro ſancto etiam apud gentes ſepulcri honore, ſupremisque officiis Ianum privavit. Vnde intelligere posſumus, acerbiſſimum fuiſſe Matthiae regis in Pannonium odium, quod probus ille fani cuſtos, Gentium naturaeque juribus deesſet. Exanime cadaver arca pice oblita concluſum, in loco obſcuro, duobus fere annis, inſepultum tenebatur; dum tandem iniquior in Ianum Matthiae animus conquievit, et deſiderio elegantisſimi hujus ingenii, rex litterarum amantisſimus moveri, conſtituto etiam indici praemio, coepit. Commodum accidit, ut rex Quinque Eccleſias veniret, quo, Bonfinio teſte, ſine funebri pompa, a Sacerdotum collegio, Antiſtitis ſui exuviae deportatae ſunt, quod ſolemni precatione, veniam Iano et ſepulcri honores exoravit. Pierius contra, aedituum Regi obviam procesſisſe ait, et non ſine gaudio ſingulari Regis optimi, ſe Ianum oſtenſurum promiſisſe. Ille Iani memoria recreatus, et ejus videndi cupidisſimus, eum in locum concesſit, ubi infelicisſimi Antiſtitis triſtes reliquiae tenebantur. Non continuit lacrimas Rex optimus, cum videret inexſpectatam hanc fati iniquitatem. De funeris dein apparatu ſepulcrique honoribus conſtituit, et

aedi-

aeditui illius in Ianum officia ac pietatem Quinque-eccleſi-enſi pontificali dignitate compenſavit. Hic quidem exitus erat Antiſtitis optimi, anno Salutis, ut Bonf. refert, M. CCCC. LXXII. De annis vitae ejus ſtatui nil certi poteſt. Si enim verum eſt, quod Paulus de Ivanich adnotavit ad epiſtolam Ioannis Epiſcopi Varadinenſis ad Guarinum ſcriptam, quam cum ceteris a Ioanne de Zredna collectis edidit inter Scriptores Hungariae Cl. Svandtnerus, ſi inquam verum, anno M. CCCC. LI. quatuor annis ſub inſtitutione Guarini jam fuiſſe Ianum noſtrum verſatum, totos autem XVII. annos in Italia egerit, ejus reditus tandem in annum M. CCCC. LXIV. incidet, atque in Italiam primum anno M. CCCC. XLVII. conceſſit; quo tempore major XII. annis haud eſſe potuit, cum primis elementis in patria acceptis, ad Guarinum miſſus ſit. Qua ratione natum eſſe oportuit anno M. CCCC. XXXV. atque aetas ultra annum XXXVII. non proceſſit. Verum meminit Bonfinius, Ianum, anno M. CCCC. LXII. in conventu Szegedienſi Legatum ad Pontificem eſſe delectum, quod alterutrum errare convincit. Malo Ianum ipſum ſequi, qui in Θρήνῳ de obitu

ma-

matris, XI. ſe annis fuisſe in Italia ſcribit, quomodo ſtare adnotatio Pauli poteſt, verumque erit, Ianum admodum juvenem Pontificali dignitate ornatum, et anno ante dicto, Legati provinciam potuisſe ſuſtinere. Haec de Iano ejusque geſtis praemittenda putavi; e quibus verum illud esſe quisque intelliget, quod Bonf. ait; eum cum antiquisſimis fuisſe comparandum, niſi rei publicae fluctibus ſeſe commiſisſet. Quod ad ſcripta ejus adtinet, eorum aliqua primum e tenebris in lucem eduxit Frobenius, reperto Veronae Guarini Panegyrico, quem urbi illi, viris illuſtribus, ſemper clare commendavit. In editione itaque Frobeuii, anno M. D: XVIII. Baſileae adornata, cum hoc ad Guarinum carmine, alterum ad Fridericum tertium Imperatorem pro pacanda Italia, editum eſt; cum duabus praeterea epiſtolis, quas Baptiſta Guarinus, Guarini filius ad Ianum dedit, nonnullisque aliis epigrammatis. Alteram dedit Oporinus itidem Baſileae, Marcelli panegyrico, praefatione Canciunculae nobilis poëtae, Glauci et Diomedis pugna, auctam. At utriusqne induſtriam ſuperavit Ioannes Sambucus, Bibliothecae Auguſtae Vindobonenſis praefectus; qui Elegiis prae-

ci-

ſipue Strozzianis, et Iani ad illum datis, tum epiſtola ad Fontium, Eranemo, et inſigni Epigrammatum copia, majori quidem ſtudio, quam delectu, auxit, Vindobonaeque cum praefatione eleganti vulgavit. Ac demum Daniel Pareus Heidelbergae, Hungaricorum poëtarum Latina monumenta collegit, et uno volumine in 12. edita, Delicias Hungaricorum poëtarum appellavit; quos inter certe, nitore et carminis ſvavitate principatum jure tenet Ianus noſter. Quidquid ceteris in editionibus hactenus prodiit, ille hoc in opus ſuum congesſit; ut adeo nihil ad integram Iani editionem deesſe videretur. At relicta etiamnum ſunt a Sambuco, in quibus colligendis componendisque, ceteri induſtriam ſuam probarent. Quod ſingulari ſuo erga Muſas patrias ſtudio, ſummaque in me voluntate, praeſtitit Clariſs. Kollarius, Bibliothecae Auguſtae Vindobonenſis cuſtos; qui ſcriptum Iani volumen cum hactenus editis contulit, reperitque nonnulla, quae Sambucum fugerant, et quae publica luce digna judicaret. Ea nos poſt cetera Iani epigrammata, hic edi fecimus; ſperoque et hanc Cl. Kollarii induſtriam, operamque meam, humaniorum artium cultoribus gratam fore.

K Nec

Nec praetereundum hic epigramma alterum, quod nuper admodum e Bibliotheca ſua mecum communicavit Samuel Pronai, vir nobilis et legum noſtrarum ſcientia illuſtris, quod nondum lucem aspexit. Haec ſunt quae de ſcriptis Iani editis dici hoc loco potuerunt. De illis vero quae injuria aut livore, ut Sambucus opinatur, interciderunt, quis ſine dolore recordari poteſt? Huc pertinent Annales Hungariae, Heroïco carmine ſcripti; huc Tomyris Amazonis illius, quae Cyrum vicisſe fertur; huc conſtantia Trottae; quae utinam, quod Sambucus precatus, e ſitu, ſi ſuperſunt, in Muſarum ſacraria publico plauſu inferantur!

(V.)

1. *Ex Epitoma Hungariae Diplomaticae Cl. Stephani Kaprinai, ad Annum* 1459. *numero XXXIV.*

Sub haec tempora orbatam Antiſtite ſuo Nicolao Barri de Barnis, cathedram Quinque eccleſienſem, Matthiae Regis beneficentia obtinuisſe colligo ex quodam inſtrumento,

inter

inter analecta anni hujus adferendo, Ioannem Ceſinge, quem vulgus Ianum Pannonium vocat. Cum vero crebra ſit in hac Hungaria noſtra diplomatica Ioannis hujus mentio futura, libet de eo quaepiam adnotare. Fuit Ioannes (qui ſe carminis gratia Ianum compellavit) alterius Ioannis Vitézii, primum Varadienſis, poſtea Strigonienſis Pontificis, viri hac aetate inter Hungaros doctisſimi ac eloquentisſimi, ex Barbara Vitézia, ſorore germana, patre nobili, Ceſinge dicto, in Sclavonia, quam veteres Saviam Pannoniam dixere, unde poſtea Ianum ſe Pannonium nuncupavit, nepos. Cum praecellens, pueri adhucdum, ad bonas artes condiſcendas ingenium videret avunculus, ſuis eum impendiis ſtudiorum gratia in Italiam miſit, ubi non ſeptemdecim, ut habet Czvittingerus, ſed undecim, quemadmodum ipſemet in quopiam carmine teſtatur, annos verſatus, Guarino Veronenſi, multis poſtea ab ſe carminibus laudato, uſus praeceptore, graecas latinasque litteras ita didicit, ut Guarinus, referente Bonfinio, ſaepe de eo dicere ſolitus fuerit; ſe nullum adhuc ex Italis, peregriniſque diſcipulum habuiſſe, qui praeſtantia, docilitate, foecunditateque ingenii cum Iano con-

 ferri

ferri poſſet. Si latine loquebatur, in urbe Roma, ſi graece, mediis natum Athenis affirmasſes; adeo nihil in eo barbariei actio, et oratio redolebat. Natum illi ad carmen ingenium erat, cujus pangendi artem a Martio Galeotto Narnienſi (ut ipſemet perhibet) potisſimum hauſit, atque ita excelluit, ut primis aetate ſua Poëtis, virorum doctorum judicio, ſit conferendus. Lauream me etiam arbitro inter aevi ſui poëtas promereretur, niſi venam adoleſcentiae in lubrica pronioris, vitio verſibus quibusdam obſcoenioribus contaminasſet. Dixi conſulto, *aevi ſui*; quamvis enim multo carmen ejus locuples ſit ingenio, ac eruditione; haud tamen ubique tam conſtanti praeditum eſt ſvavitate, ac elegantia, ut priſcis, quemadmodum aliqui arbitrantur, in omnibus valeat adnumerari. Ex Italia redux, Martemque aliquamdiu ſecutus, hoc anno tiaram Quinque-eccleſienſem indeptus esſe videtur. At quia aetatis maturioris, e legum Canonicarum ſanctionibus ad gerendam Pontificiam dignitatem necesſariae, defectu laborabat, noluit Pius Pontifex, initio ejus electionem probare; quam tamen poſtea ad preces Ioannis Cardinalis Legati Apoſtolici, et ob praeclara avunculi

culi ejus Ioannis Varadinenſis promerita admiſit. Multa Matthiae Regis gratia floruit, variisque ad Pontificem, Caeſarem, Ducem Venetiarum, aliosque Italiae ac Germaniae Principes, legationibus, ſingulari laude perfunctus fuit. Aſt dum a Matthiae fide ad Caſimirum Polonum cum avunculo deſcivisſet, Regis gratia excidit, brevique tempore, anno 1472. moerore contabuit, ut ſuo loco poſtea dicam. Nihil eſt humana fortuna inconſtantius; quem modo in altum provehit, repente ad ima praecipitat.

2. *Diploma Pii II. ex quo conſtare videtur, Ianum Pannonium, Ioannem Ceſinge fuiſſe cognominatum, inter analecta A. 1460. Docum. XI. ejusdem Hungariae Diplomaticae.*

Argumentum a Kaprinaio praemiſſum.

Pius II. Papa Ioanni Ceſinge, Episcopo electo Quinqueeccleſienſi, veniam tribuit, certam pecuniae ſummam, Camerae Apoſtolicae obventuram, Ioanni Cardinali Legato in Hungaria perſolvendi. Datum Senis XVI. Februarii 1460.

Pius Papa II. Dilecto Filio Iohanni S. R. E. Diacono Cardinali S. Angeli, Legato etc. Dilecte Fili ſalutem etc. Alias Eccleſie Quinqueeccleſien. tunc vacanti, de perſona dilecti filii Iohannis Ceſinge (1) providimus. Cum vero pro

(1) Verum hujus Antiſtitis cognomen tenebris ſepultum, hiſtoria regni noſtri hucusque ignoravit. Plerique ſcriptorum *Ioannem Pannonium*, quod in Savia Pannonia natus esſet, vel, ut ipſe contracto carminis gratia nomine ſe vocabat, *Ianum Pannonium*, aut a matre et avunculo, Episcopo Varadienſi, Ioannem Vitezium

pro exigendis litteris in camera ſollicitator non habere hic pecuniam asſeruerit, ejus precibus moti contentamur, ut illa, videlicet floren. auri de camera mille ſexcentos quinquaginta pro portione ipſi camere noſtre pertinen. perſolvat tibi. Igitur Circumſpectio tua vel hujusmodi pecuniam habeat, vel de illa habenda ſecuritatem capiat; cum quicquid egerit; nobis per litteras ſignificet. Datum Senis, ſub annulo piſcatoris die XVI. menſis Februarii 1460. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

---

zium dixerunt; Documentum autem LXVI. anni 1459. patrem illius Ludicium nuncupat. At Pii Pontificis litterae *Ioannem Ceſinge* compellatum fuiſſe perhibent.

Haec e notis Kaprinaii Diplomati ſubjectis.

3. *Ex*

3. *Ex eadem Hungaria Diplomatica Documentum LXVI. inter Analecta anni* 1459. *Argumentum Kaprinaii.*

Fragmentum MS. de Iani Pannonii ortu, parentibus, ſtudiis, amicis, in Italia. (1)

Ianus Pannonius (2) qui antea Ioannes vocabatur, fuit ex

Annotationes Kaprinaii ad hoc Fragmentum MS.

(1) Poſt deſcriptum jam opus reperi hoc fragmentum, inter MS. Romana Martini Cſeles, quod tametſi diploma non ſit, quia tamen ad illuſtrandos Iani Pannonii natales, ſtudia, amicos, plurimum deſervit; hujus anni, quo Ianus Quinqueeccleſienſem Pontificatum obtinuit, analectis, appendicis inſtar, eruditorum gratia, quibus placiturum ſpero, adjiciendum judicavi. Vnde illud Cſeleſius in ſua adverſaria tranſtulerit, haud invenio; prodidit tamen ejus auctorem fuisſe Angelum Colocium Michaël Bombardins in Topographia magni regni Hungariae pag. 150, edit. primae Viennenſis his verbis: *Statuta itaque alibi patria Aureliani, ejus loco virum inter literatiores Hungariae ac exteros longe celeberrimum, quem alibi inter Quinqueeccleſienſes Praeſules memoravimus, Ianum Pannonium, Sirmii natum affirmamus, ita edocti ex authentico MS. ſeu verius ex libro Angeli Colocii de republica literaria; ubi dicitur, virum hunc pauperibus parentibus, nempe a patre cui nomen Ludicius, fabro lignario natum, matris ſuae, mulieris laborioſisſimae Incello adjutum, cum regiis miniſtris in Italiam transgresſum, poſtea ſub Guarino*

ex Pannonia, ex oppido Sirmio (3) olim Romanorum co-

lo-

rino Veronenſi Ferrariae in omni ſcientia, maxime Poëtica egregie exeultum, denique in Hungaria, reducem Antiſtitis dignitatem retuliſſe. Dictum autem eſſe non Ianum, ſed Ioannem Pannonium; cujus praenominis mutationem ipſe hoc epigrammate excuſatam voluit: (Epigr. L. I. Ep. CXXX.)

Ioannes fueram, Ianum quem pagina dicit,
Admonitum ne te, lector amice, neges.
Non ego per faſtum ſprevi tam nobile nomen,
Quo nullum toto clarius orbe ſonat.
Compulit invitum mutare vocabula, cum me
Lavit in Aonio, flava Thalia, lacu.

Hucusque Bombardius. Nos fragmentum cum erroribus, ut reperimus, damus.

(2) Cur Pannonius dicatur, dixi in epitome anni hujus numero XXXIV.

(3) Ipſe in carminibus ſuis; natale oppidum nuspiam memorat; quod vix diſſimulaturus erat, ſi tam celebri quondam loco primam lucem aspexiſſet. Alterum eſt, quod ſe ad Dravum fluvium ortum dicat epigrammatum ſuorum (L. I. Ep. CCCXXXVIII.)

Ille ego et haec cecini Dravum generatus ad altum,
Perlege et haec ſi quis cetera forte leges.

Et quidem ante oſtia fluminis hujus, eo loco, ubi leni gurgite decurrentem Dravum, mox Danubio nomen et undas mixturum canit in panegyrico Guarini (v. 485. ſqq.)

Me ſimul hos inter fatis et ſorte Deorum,
Pannoniae tellus tenero tibi miſit in aevo.
Qua mox Danubio mixturus nomen et undas,
Pingvia culta ſecat leni jam gurgite Dravus.

Dravi autem in Danubium ſemet exonerantis oſtia, Nicolaus Olahus Strigonienſium Archiepiſcopus, Hungariae ſuae cap. 4. §. 5.

 non

lonia, patre Ludicio (4) matre Catharina (5) genitus, (6).

pau-

non longe a Drázad oppido collocat. Ladiſlaus vero Szörenyius, Sirmienſium Antiſtes, in Vindiciis Sirmienſibus pag. 33. edit. ſecundae; *duobus circiter milliaribus infra Eſzékum ad pagum Almás*, ſtatuit. Hic igitur Iani patria circiter eſt quaerenda, non vero in oppido Sirmio; quod Samuel Timon in Imagine antiquae Hungariae cap. 4. ſitum fuiſſe ait ad radices montis Almi, interfluente urbem mediam, ad Savum usque fluvium ut aliqui putant, ſe porrigentem, Bacuntio amne, quem hodie Boſvetham vel Boſutam vocant. Sirmii ſitui nunc reſpondent pagi, *Cſerna* et *Morovitz*, perhibente laudato Szörényio pag. 96. loco citato. Ab hac autem Sirmii poſitione, multis paſſuum millibus longe abeſt Dravus, ejusque oſtium.

(4) Diploma Pii II. Pontificis inter analecta anni 1460, num. XI. referendum, Ianum, *Iohannem Ceſinge* nominat. Debuit igitur ipſe etiam pater hoc cognomento compellari. Fortasſe Ludicius dictus eſt, quod ſacro in fonte Ludic vel Ludvic, id eſt, Ludovici nomen acceperit, ceteroquin Ceſinge dicendus; Nec enim Pontificis literae, ſi rite tranſcriptae ſunt, erroris argui posſunt. Sed de hoc plura loco nunc citato.

(5) Errat MS. Barbarae, cognomento Viteziae, nomen ei erat, ut ipſe Ianus in epitaphio, matri concinnato, canit (*Epigr.* L. II. *Ep.* I.)

Nobilior vitae meritis, quam Praeſule nato,
Hac ſub marmorea, Barbara mole jacet.

Fuit ſoror germana Ioannis Vitezii, primum Varadienſis, poſtea Strigonienſis Archiepiſcopi, viri aetate ſua celeberrimi. Obiit illa diem ſuum quinto poſt Nonas Decembres die, id eſt decimo Decembris, perhibente elegia de morte Barbarae matris: (L. I. *Eleg.* VI. v. 11. *ſq*)

Atra dies, nonas ſequeris quae quinta Decembres,

Ac-

pauperibus parentibus, utpote patre fabro lignario (7), quem

Accipe non albae, triſtia ſigna, notae.

Fatis autem functa eſt anno 1463. quemadmodum teſtatur argumentum elegiae (VII. L. I.) qua *invehitur in lunam, quod interlunio matrem amiſerit;* cum illa annum aetatis ſexageſimum ſuperasſet: (*Eleg.* L. I. *Eleg.* VI. v. 83 *ſq.*)

Tene ego poſt duodena licet quinquennia raptam,
Non fletu et lacrimis proſequar alma parens?

Tumulo condita eſt Quinqueeccleſiis, ubi vitam penes filium degebat, triſtes exequias ipſo Iano Pontifice ad aram peragente: (*ibid.* v. 151. *ſq.*)

Ipſe ego ſolenni pullatus veſte ſacerdos,
Ad tumulum pro te myſtica dona fero.

(6) In lucem editus esſe videtur anno 1434. menſe Auguſto, ut colligitur ex elegia (X. *Lib.* I.) menſe Martio anno 1466. (adnotante Sambuco) ſcripta, in qua, dum conqueritur de aegrotationibus ſuis, ſcribit ſe triceſimum ſecundum aetatis annum poſt ſex menſtruas lunas, id eſt menſe Auguſto completurum (v. 31. *ſq.*)

Tricenis geminos tunc adnumerabimus annos,
Cum peraget ſenas, menſtrua luna, vias.

(7) Vtcunque hoc ſit; nobili tamen; ſi fides eſt habenda Ludovico Tuberoni, Abbati Dalmatae, non longe a Iani temporibus remoto ſcriptori, in Commentariis ſui temporis Lib. 3. cap. 6. *Hic Ianus, vir et literis et ingenio memorabilis, nobili genere natus fuit, in ea mediterraneae Dalmatiae* (Sclavoniam ſcribere debuisſet) *quae inter Savum et Dravum amnes ſita, a Pannonia Dravo dirimitur.* Ipſe etiam nobilem ſe esſe profitetur in epigrammate in Vgonem (*Epigr.* L. I. *Ep.* CCCV.)

Divitior cum ſim, cum ſim te junior, Vgo,
Sangvinis et clari nobilitate prior.

Adverte quid dicat: *Sangvinis et clari.* Quanquam Thurotzius Chronici ſui parte 4. cap. 67. *in Sclavo-*

quem puerum genitor Ludicius cuidam aedituo, erudiendum tradidit (8), matre vero ſuperſtite (9) quae vitam colo ac pectine tolerabat, victa filii precibus, in Italiam regiis cum Oratoribus mittitur, (10) et quantum ex pauperie orto filio po-

vonia humilis ſub tecto nobilitatis genitum perhibeat.

(8) Hanc curam Ianus matri adſcribit in laudato epicedio: (*v.* 97. *ſqq.*)

Hinc ubi jam certo fixi veſtigia greſſu.
Deſiit et blaeſos frangere lingva ſonos,
Protinus ingennas docilem tranſmittis ad artes.
Otia nec pateris ducere lenta domi.

(9) Pater enim jam obierat 1440. cum ſextum aetatis annum Ianus ageret, quod inde collige: Nam matrem ſuam tres et viginti annos viduam manſiſſe canit in epicedio: (v. 157. *ſqq.*)

Incolumi ſane fueras quam fida marito,
Declarat viduae non repetitus Hymen.
Manſiſti caelebs dum vertens ſecula Titan,
Iungeret autumnis, luſtra quaterna, tribus.

Iam ſi ex anno 1463. quo matrem obiiſſe diximus, tres ac viginti demas, annus ſurget 1440. quo Ludicius moriens Barbaram viduam reliquit.

(10) Miſſus autem eſt anno 1447. vel certe ſuperiore, dum Ianus tertium decimum (nam *tenero in aevo* ſe miſſum ſcribit,) vitae annum ageret, quod inde eruitur: Paulus enim de Ivanich, in ſcholio ad epiſtolam Ioannis Vitézii, Antiſtitis Varadienſis, qui Iani avunculus erat, ad Guarinum, Iani in Italia magiſtrum ex urbe Buda 18. Martii anno 1451. datam, ac inter epiſtolas a Ioanne de Zredna collectas numero LXXIV. poſitam in collectione Schvantneriana, Rerum Hungaricarum Tomo I, qua ex Italia, videndi gratia, ad tempus revocatum, iterum ad ſtudia pro-

potuit, ſuccurrit. Is cum in Grammaticis ſub Guarino Veronen-

proſequenda remittit et commendat, quatuor annos in Italia apud Guarinum in ſtudiis verſatum ait: *Iſte Ioannes*(inquit Iwanichius) *eſt frater ipſius Epiſcopi; et ſteterat apud Guarinum oratorem et praeceptorem Rhetoricae, in ſtudio quatuor annis, quem ipſe Epiſcopus ut videret, revocaverat ad ſe; nunc vero iterum remiſit ad ſtudium.* Ex quo luculente patet, Iannum 1447. aut ſuperiore ſtudiorum gratia Italiam petiiſſe. Profectus eſt autem eo beneficentia et ſtipendiis avunculi ſui, Epiſcopi Varadienſis; qua de re ita canit in epicedio matris: (v. 103. *ſqq.*)

> *Imbiberam tenerae, vix prima elementa, Minervae,*
> *Nec mala venturi jam documenta dabant;*
> *Cum tuus Auſonias tradit me frater ad oras,*
> *Longinquo et Muſas quaerere in orbe jubet.*

Ubi undecim annos ingenti cum laude verſatus erat, eodem epicedio perhibente: (v. 107. *ſq*)

> *Illius* (fratris) *impenſa Venetas celebravimus urbes,*
> *Dum ſol undecies per ſua ſigna redit.*

Atque ex hoc liquet, ejus ex Italia in Pannoniam reditum, in annum 1458. incidiſſe, dum annorum eſſet quatuor et viginti. Eo enim anno (ut notat Sambucus) ſcripſit elegiam (III. *Lib.* I.) ad Blaſium militem de ſe febricitante, inter cetera inquiens: (v. 7. *ſq.*)

> *In Turcas utinam tecum ſimul arma tuliſſem,*
> *Non foret in tanto, nunc mea vita, metu.*

Qui verſus indicant, eum jam tunc, dum illos ſcripſerat, in Hungaria poſitum fuiſſe. Inſequente poſtea 1459. Nicolao Bari Praeſule vita functo, cathedram obtinuit Quinqueeccleſienſem, anno aetatis quinto ac viceſimo, ut ex anno natali ad calculum illic revocato patet. Ipſe etiam in epicedio matris, ſibi tunc juveni Pontificiam dignitatem obtigiſſe ſcribit: (v. 111. *ſq.*)

> *At poſtquam patriae me reddidit Itala tellus,*

Ob-

ronenſi (12) Ferrariae non parum profeciſſet, et ab Epiſcopo (13) adjutus, matre ſubminiſtrante quicquid lucelli poterat (14), cum Tito Strozzio (15) Poëta elegantisſimo verſatus, adeo profecit, ut non ſolum Poëtis illius ſaeculi comparari potuerit, ſed omnibus litteratis admirationi fuerit. Habuit amicos Titum Strozzium, et Phaliscum gentilem meum (16), qui Guarino operam dabat. Habuit etiam Theodorum Gaza (17) et Argyropylum (18) et Marcellos Ve-

Obtigit et juveni Pontificalis honos.

Cujus electionem, legibus utpote canonicis adverſam, Pius Pontifex aegre admodum probavit, nec niſi ad multas Ioannis Cardinalis Legati preces, ob ſingularia avunculi merita admiſit ut dixi.

(12) Celeberrimo tota Italia Didaſcalo, ſub cujus diſciplinam, non modo ex Italia, ſed etiam ex Gallia, Hiſpania, Germania, Polonia, Dalmatia, Hungaria, certatim diſcipuli confluebant.

(13) Varadienſi Ioanne Vitezio.

(14) Praeſertim domi, ut ipſe Ianus teſtatur in laudato toties epicedio: (v. 101. ſq)

Quicquid lana tibi, quicquid tibi tela lucelli
Contulerat, merces erudientis erat.

(15) Vel Sirozi, Tito Veſpaſiano, Italo, ad quem non unum extat Iani epigramma, ac vicisſim.

(16) Cum dicat: *gentilem meum*, Italus esſe debuit, qui hoc fragmentum concinnavit.

(17) Fuit Thesſalonicenſis, quem hoc eleganti epigrammate celebravit Ianus: (*Epigr.* L. I. *Ep.* CIX.)

No-

Venetos (19), Nicolaum Perottum (20) ſed ante omnes Guarinum praeceptorem, et Galeotum Martium. In laudem Guarini multa ſcripſit (21), fuit eruditisſimus ante omnes. Duces Ferrariae Eſtenſes, Ateſtinos vocavit ab oppido Ateſta, unde Duces originem traxerunt. Magna illi facultas dicendi et extemporaliter condendi carmina; et magna eruditio. Martium Galeotum (22) fraterne amavit; eum Hun-

Nobile lingvarum decus o Theodore duarum,
Inclyta quem nobis Theſſalonica dedit,
Vivito ſic longum, ut gazis paſcamur opimis.
Inque unum redigas Hellada cum Latio.

(18) Natione Graecum, qui Ariſtotelem latio ſermone reddidit, qua de re praeclaro epigrammate ludit Ianus (*Epigr* L. I *Ep.* CCXXXVII.)

(19) Inſigni poëmate celebratos, quorum ſe menſis ſaepe fruitum fuisſe ſcribit Ianus (*Praef.* v. 32. et *Paneg.* v. 161. *ſq.*)

(20) Quem ille *Laurigerum* poëtam, inter *recentiores doctisſimum, nec priſcis minorem* vocat, ſuumque de eo ita epigramma concludit: (*Epigr. Lib.* I. *Ep.* XXXII.)

Quodſi contingat tanto me vate probari,
Tunc ego vel Metio, Quintilio ve legar.

(21) Quorum complura extant inter ejus carmina, praecipuus eſt panegyricus.

(22) Erat Galeottus annos duos Guarini diſcipulus, dum Ianus ad Italiam advectus fuisſet. Hujus poſtea familiaritate, contubernio, convictu uſus, plurimum eſt eruditus. Hoc hortatore, duce, ac magiſtro, artem ſe poëticam didicisſe fatetur in elegia ad Galeottum: (*Eleg. Lib.* II. *Eleg.* IV. v. 9. *ſq.*)

Per

Hungariae Regi (23) commendavit. Galeottus obeſus fuit; et cum a quodam Regis aulico, nomine Aleſo rideretur, et Galeotus illum macilentum, quaſi per jocum ad palaeſtram (24)

Per te Parnaſi peragravi roſcida Tempe,
Tu monitor, tu dux, tuque Magiſter eras.

Ibidem: (v. 51. *ſqq.*)

Hunc (Guarinum) *tu per geminos audis cum ſedulus annos.*
Luce tibi parcus, nocte ſoporis eras.
Ipſe ego tunc Italas primum devectus ad urbes,
In caſtris coepi tiro merere ſuis (Guarini).
Magnus amicitiae junxit nos protinus uſus,
Ex illo noſter tempore crevit amor.
Idem nos tenuit thalamus, tum menſa duobus
Communem ſemper praebuit una cibum.
Saepius ad mediam noctem vigilavimus ambo,
Cum cuperent ſomno lumina feſſa dari.
Saepius ante diem ternis ſurreximus horis,
Cum foret in tepido dulce cubare thoro.
Fidere cui poſſem nullum te praeter amabam,
Nullus qui curam vellet habere mei.
Tu pariter fratrisque vicem, patruique gerebas,
Inque loco matris inque parentis eras.

Item:

Nec me alius docuit, ſoleo quod ſaepe fateri,
Apta in legitimos cogere verba modos.

(23) Matthiae, adeo ut intimos inter ejus familiares Galeottus cenſeretur, et quotidianus menſae regiae conviva adſideret; cujus poſtea ſapienter dicta et facta, peculiari libello complexus, filio Ioanni dicavit, plurimaque memoriae noſtrae prodidit,

(24) invitaret, et luctatus eſt egregie et hominem ſtravit. In cujus laudes hoc egregium epigramma compoſuit: Qualis in Aetola etc. (25) (*Epigr.* L. I. *Ep.* XIV.)

dit, ceteroquin ignoranda.

(24) Cujus peritiſſimum fuiſſe Galeottum ſcribit Ianus.

(25) Haec de Iano conſulto fuſius, ut res ejus, hactenus ignoratae meliori luce collocatur.

(VI.)

Noſtra narratio et brevis expoſitio de vita Iani Pannonii.

Etſi plurimi ſcriptorum tam domeſticorum, qui res Hungaricas memoriae prodiderunt; quam exterorum eruditorum, non ſine inſigni laudum praeconio Iani Pannonii meminerint; ſunt tamen ejus merita, quam natales et origo in illuſtriori poſita monumento; isque memoriam ſui in ſcriptis potius erudite et eleganter confectis, propriisque virtutibus; quam in majorum ſuorum ceris et fumoſis imaginibus poſteritati commendavit; communi, hoc in genere, ſorte et conditio-

ne uſus cum Homero, cumque aliis in antiquitate viris ad omnem laudem inſignibus, quorum ortus et incunabula, ipſaque adeo terra, qua geniti ſunt et educati, hodieque tenebris oppresſa latet, omnibusque manet ignorata. Quo igitur gentilis noſtri et popularis poëtae hujus, qui cum praeſtantisſimis poſt renatas literas vatibus Latinis comparari non injuria poteſt, origo et imago vitae, quantum in tanta monumentorum ad ejus vitam illuſtrandam pertinentium penuria fieri poteſt, e tam diuturna caligine in lucem paullo liquidiorem protrahatur; poſt uberiorem aliorum mesſem ſpicilegio quaſi facto, in id incumbemus, ut quicquid ex ejusdem ſcriptis ad noſtram memoriam permanentibus, aut aliis illorum temporum aequalibus vel certe fide dignis auctoribus notabile, de natalibus, origine et vita hominis, indagando et veſtigando reperire potuimus, in ordinem paullo concinniorem redactum, cum lectore candido communicaremus; cum ut, ſi quae ab aliis forte obſcurius de illo dicta fuisſent, lucidiora redderentur; tum novis etiam rationibus et argumentis nonnulla plenius confirmarentur.

CA-

Caput. I.

Iani Pannonii Annus et dies natalis conſtitutus.

Elegia Iani noſtri X, in MSto inſcribitur hoc modo: *Conqueſtio de aegrotationibus ſuis, in Menſe Martio Anno M. CCCC. LXVI.* Quodſi haec epigraphe non fallit, inde quidem annus ejus natalis, ipſeque adeo dies, facile eruitur Nam in eadem Elegia v. 31. ſq. ſcribit, ſe, triginta duorum annorum fore, ſive completurum annos aetatis 32. ubi menſes adhuc ſex circumacti fuerint:

Tricenis geminos tunc annumerabimus annos,
Cum peraget ſenas, menſtrua luna, vias.

Iam vero natum esſe noſtrum Auguſto menſe exeunte, ex ejusdem duobus epigrammatis Lib. I. Ep. CVII et CCVIII. evidens eſt:

Sextus hic et decimus vitae mihi labitur annus,
Narravit nato ſi modo vera parens.
Septimus incipiet Septembres ante Kalendas,
Si modo producant tres mihi fila Deae.

 Item:

Item:

Sextus hic et decimus vitae mihi ducitur annus,

Si verum nato rettulit ipſa parens.

Septimus incipiet medio cum ardebit Olympo,

Menſis ab Auguſti tertia fine dies.

Cum igitur hanc Elegiam X. menſe Martio Anni 1466. ſcripſerit; finito menſe Auguſto ejusdem anni 1466. fuit noſter annos natus ſolidos 32. Quare incidit nativitas ejus in Annum 1434. ejusque diem Auguſti 29. Iam vero Paulus Ivanichius ad epiſtolam (quae inter epiſtolas Ioannis de Zredna a Schvvandtnero in Scriptoribus Hungariae editas eſt 74.) Io. Vitezii Varadenſis Episcopi, Guarino A. 1451. 18. Martii datam, adnotat, quatuor annos jam tum in Italia peregisſe Ianum Pannonium. Misſus igitur in Italiam fuit An. 1447. verno, ut veri ſimile eſt, tempore, cum ageret annum decimum tertium, h. e. natus annos 12. et ſex circiter menſes. Porro ipſe Ianus Elegia VI. ſive epicedio matris v. 108. ait ſe, Venetas urbes celebrasſe, ſive in Italia fuisſe:

Dum Sol undecies per ſua ſigna redit,

h. e. annis 11., quibus appoſitis ad A. 1447. prodibit annus

nus 1458. quo redire tandem ex Italia debuit, et in quo anno, 29 Auguſti complevit annum aetatis 24. Quod etiam confirmatur ex Eleg. III. de ſe febricitante ad Blaſium militantem ſcripta, ubi v. 7. ſic ait:

In Turcos utinam tecum ſimul arma tuliſſem;

quod certe in Italia ſcribere non potuit. Atquin huic Elegiae ſuperſcriptus eſt in MSto Annus 1458. Unde elucet, eo anno ex Italia rediiſſe Ianum. Huc accedit, quod in hac ipſa Eleg. tertia, A. 1458. ad Blaſium data, v. 3. ſq. queritur de febri:

Nos, Blaſi, aeſtifera correpti febre jacemus,
Deſidis et Leti triſte timemus iter.

Erat autem illa febris cum alvi profluvio cruento conjuncta, quod patet ex Epigr. Lib. I. Epigr. CXXXIX. eodem tempore ex Hungaria ad Galeottum amicum in Italiam miſſo:

Tu nunc in patria laetum me vivere credis,
Cum tamen in dubio ſit mihi vita loco.
Nunc fluidus laxa procumbit ſangvis ab alvo,
Nunc ſaevit rapida tertia febre dies.
Si natalis humus, nobis tam triſte parabat

Hoſpitium, melius non rediiſſe fuit. cet.

De hoc eodem morbo autem Eleg. Lib. I. Elegia X. v. 7. ſqq. ita cribit:

Reddiderat patriae reducem vix Itala tellus,
Damnavi reditus protinus ipſe novos.
Nam male profluvio ventris cruciatus amaro,
Turbavi attonitae gaudia paene domus.

Cum itaque et in Epigrammate allato, et in Elegiae X. verſibus praedictis, morbus ille poſt reditum ſtatim conſecutus, idem prorſus ſit, qui Elegia III. A. 1458. ſcripta memoratur; ſatis conſtat, et Elegiam illam ad Blaſium in Hungaria ſcriptam fuisſe, et Ianum anno illo 1458. ex Italia rediisſe. Quod autem Bonſinius Dec. 4. Lib. 3. diſerte ait: *annos ſeptemdecim ſub Guarini Veronenſis diſciplina fuisſe* Ianum, id nos morari neutiquam debet. Nam etſi locus ſanus ſit, toties Bonſinius cum aliis in rebus, tum praecipue in temporum rationibus aberrasſe deprehenſus, et negligentiae convictus eſt, ut hic quoque ſui ſimilem fuisſe, nihil mirum videatur. Quid? quod Elegia IV. quae agit de ſtella aeſtivo tempore meridie viſa, habet in MSto Annum 1462. Inde

vero

vero jam certisſimum eſt, in Hungaria tum fuiſse contra Bonfinii ſententiam, imo Episcopum etiam egisſe, quod poſterius demonſtrabitur. Matrem amiſit A. 1463. 10 Decembris, ut ex ejus epicedio apparet:

Atra dies Nonas ſequeris quae quinta Decembres. cet. quae caelebs ſeu vidua vixerat annos 23. ut indidem v. 159. ſq. novimus:

Manſiſti caelebs dum vertens ſecula Titan,
Iungeret autumnis, luſtra quaterna, tribus

Qui anni ſi retro numerentur, apparebit patrem fuiſſe mortuum A. 1440. Iano noſtro ſexenni puerulo relicto. Quo ſane factum putamus, ut patris nusquam mentionem injecerit, in his certe quae hodie ab eo habemus. Sic itaque jam ſatis conſtat, natum fuisſe Ioannem Pannonium An. 1434. 29. Auguſti die. Deinde in Italiam ſtudiorum cauſſa venisſe A. 1447. Tandem inde redisſe A. 1458.

Caput. II.

Nomen, patria, gens, cognati, fratres et ſorores Iani Pannonii.

Quod ad nomen et vocabulum *Iani* attinet, illud ſibi ipſe commutavit ex *Ioanne*, quod a parentibus inditum fuerat, pro more virorum doctorum illius aetatis, idque ut Latinius ſonaret. Extat Epigramma de hac ſui nominis immutatione, Lib. I. numero CXXX. Neque tamen hoc ita eſt accipiendum quaſi ſemper poſtea Ianum appellari ſe voluisſet. Nam et Ioannis nomine cum in diplomatibus tum etiam epiſtolis privatim dandis uſum fuisſe conſtat. Sed hoc nimis protritum eſt. Quare illud potius obſervandum, *Pannonium* ſe ob eandem cauſam nominavisſe, ut vocabulo utroque Latine ſe ſcribere posſet Eſt autem diligenter animadvertendum, *Pannonium* hic ſenſu ſtrictiore ſumi. Nempe reſpexit ad vim hujus nominis propriam, veteremque Pannoniam Interamnenſem, priſcis Romanis ita nuncupatam regionem,

nem, quae Dravo et Savo amnibus continetur. Vero autem nomine Sclavenico et barbaro dictus fuiſset *Ioannes Ceſinge*, quomodo vocatur in Diplomate Pii II. apud Kaprinaium Tom. 2. Hung. Diplomaticae. Unde etiam conſtat, eundem, Episcopum Quinque-Eccleſiarum fuiſſe a Pio II. declaratum A. 1460. vel extremo ſuperiore 1459. Extat editio Epiſtolarum Matthiae Regis, Claudiopolitana Anni 1745. in tres partes deſcripta, in quibus plures reperiuntur epiſtolae a Iano Pannonio jam Episcopo Quinque-Eccleſienſi ſcriptae, quibus additus eſt annus 1460. Cujus generis eſt Part. II. Epistola 21. ad Cardinalem Diaconum S. Euſtachii; et ep. 22. Nec non oratio ejusdem Episcopi Ioannis Quinque-Eccleſienſis, mandato Regio ad Legatum Apoſtolicum Budae A. 1460. habita, quae eſt 6. Part. II. Cum itaque in Diplomate Pii II. pontificis apud Kaprinaium, hoc ipſo anno dicatur *Iohannes Ceſinge*, Episcopus Quinque-Eccleſienſis declaratus; nihil aliud ſane relinquitur, quam ut *Ioannem Ceſinge*, eundem hominem fuiſſe putemus, proprio nomine dictum, qui ſibi ipſe *Iani Pannonii* vocabulum impoſuiſſet. Nam in ejusmodi diplomatibus verorum voca-

bulorum vel in primis ratio haberi ſolet. Haec ſi vera ſunt, ut mihi quidem certe videntur, non posſumus ſatis admirari complures viros doctisſimos, patriarumque rerum ſcientisſimos, qui Ianum Pannonium, proprio nomine *Iohannem Vitéz* appellatum putant, eoque avunculi ſui cognominem fuisſe pasſim nuncupare ſolent. Nemo enim Ianum noſtrum Vitézium appellavit unquam, ſed matrem ejus Barbaram Vitéz, et matris fratrem Ioannem Vitéz, primo Varadienſem episcopum, dein Strigonienſem Archiepiſcopum.

In quo autem oppido vel pago fuerit editus, fruſtra hodie quaeritur, cum neque ab aliis, quod ſciam, neque a ſeipſo nomen pagi uspiam memoretur. Pagum autem fuisſe locum ejus natalem, vel inde liquet, quod ſi celebri quadam urbe fuisſet oriundus, non arbitror eum fuisſe taciturum. Neque mos erat nobilibus, urbes habitare. Sufficit autem nosſe, in ea regione fuisſe natum, quae hodie Sclavenia vocatur, et quidem proxime ad fluminis Dravi oſtia; quod ipſemet in panegyrico carmine Guarino praeceptori ſcripto, v. 485. ſqq. indicat;

Me ſimul hos inter fatis et ſorte Deorum,

Pan-

Pannoniae tellus tenero tibi miſit in aevo,

Qua mox Danubio mixturus nomen et undas,

Pingvia culta ſecat leni jam gurgite Dravus.

Unde colligitur natalem locum Iani fuiſse Dravi oſtiis, quibus in Danubium effunditur, proximum. Nam ibi flumina etiam rapidisſima, fracto impetu quaſi remittuntur. Quod vero patria ejus, non in ea Dravi ripa ſit quaerenda qua Comitatus Baranyenſis jacet, ſed in ipſa Sclavenia, in Comitatu Veröczenſi ſupra Eſzékinum et infra Valponem aut circa eam; id vero a Tuberone Lib. 3. cap. 6. confirmatur: *Hic autem Ianus, genere Sclavenus, vir et litteris et ingenio memorabilis, nobili genere natus fuit in ea mediterraneae Dalmatiae* (intellige Sclaveniam) *regione, quae inter Savum et Dravum amnes ſita, a Pannonia* (h. e. Hungaria) *Dravo dirimitur, nunc a Sclavenis Tranſiſtrana natione incolitur.* Quo e Tuberonis loco videmus ſimul, gentem et nationem Iani fuiſse Sclavenicam. Sed quando Tubero ipſe Dalmata i. e. Sclavenus, pro idoneo hoc in genere teſte non ab omnibus forte admittendus videatur, dabimus alios auctores, aequales Iani, indubitatae fidei, qui idem clarisſime

me docent. Nam Aeneas Sylvius De Europa cap. 2. ubi de Tranſilvania: *Ex Hungaris* inquit, *qui ſtudia humanitatis ſecuti aevo noſtro claruerunt, duos novimus, Ioannem Episcopum Varadienſem, qui regni cancellariam obtinuit; et alterum Ioannem, ejus ex ſorore nepotem, qui ſub Guarino Veronenſi Graecas ac Latinas litteras didicit, nec minus verſu quam ſoluta valet oratione. Horum tamen originem Sclavonicam ferunt.* Ranzanus pariter Indice 34: *Ioannes Strigonienſis Archiepiscopus et Ioannes Episcopus Quinque Eccleſienſis. Erant hi natione Dalmatae, humillimo loco nati.* Adde Turotium noſtrum pag. 289. Ex his teſtibus aequalibus apertum eſt, Ianum fuisſe vere Hungarum, originis tamen Sclavenicae, ut fuit Stephanus Brodericus, Episcopus Vacienſis, cladis Mohatſianae ſcriptor, ut hodieque innumerabiles et illuſtres viri apud Hungaros ejus ortus reperiuntur. Et ſane Tubero Lib. 4. cap. 4. non dubitavit ſcribere, *pleramque Hungariae nobilitatem a Dalmatis* (i. e. Sclavenis) *originem trahere.* Sunt qui negent Ianum origine Sclavenum fuisſe, idque hac potisſimum ratione ducti, quod Vitézius fuerit appellatus, quod nomen

Hun-

Hungăris militem ſignificat. Sed primum, unde tandem conſtat *Vitezii* nomen habuiſſe? Deinde etſi fingamus Vitézium fuiſſe cognominatum, inde tamen nullum iſti ſententiae praeſidium ac propugnaculum exſtrui poterit, propterea quod vocabulum *Vitéz*, purum putum Sclavenicum ſit, ut alia innumerabilia lingvae Hungaricae. Cum itaque vox iſta, *Vitéz*, communis ſit fueritque Hungarorum et Sclavenorum; non video, quodnam inde argumentum peti poſſit ad tam diſertam ſcriptorum aequalium auctoritatem in dubium vocandam, praeſertim cum ipſosmet etiam *Vitezios*, omnemque gentem *Vitéziam*, Ranzanus, Aeneas Silvius, Tubero, aliique auctores graviſſimi, Sclavenicae ſtirpis fuiſſe liquido teſtentur. Neque minus notandi hic fuerint, qui non dubitarunt Ianum in Germanos referre; et Eraſmi aequalem, Politiano recentiorem ſcripſerunt. Apud Italos cum degeret, vulgo *Vngaretus* dicebatur, ut apparet ex Anthropol. Lib. 21. Raphaëlis Volaterrani, quem locum poſtea producemus. Vide et Supplementa Hiſtoriae Ludovici XI. Gabrielis Naudaei p. 179. ubi *Iohannes Ungheretus* dicitur, apud Baylium in Dictionario, voce *Guarin*. Ex quo Ungare-

gareti vocabulo facile intelligas, Ianum ipſum et fuisſe, et voluisſe Vngarum apud Italos haberi.

Ceterum fuit etiam nobili genere natus; etſi Ranzanus *humillimo loco* natum ſcripſerit, ut antea vidimus; verum ex odio hoc profectum esſe videtur. Contrarium teſtatur non modo ipſe de ſe in Epigrammate ab editore Budenſi hanc in rem jam laudato; verum etiam Tubero Lib. 3. cap. 6. ubi cum genere Sclavenus, tum nobili natus diſerte dicitur. Adde Turotium noſtrum pag. 289. edit. Schwandtner. ubi haec leguntur: *Domino Rege ea tempeſtate res ſuas erga regnum Bohemiae, forte felici, dirigente, quidam Dominorum Hungariae, hi autem maxime, quos ſua benevolentia extulerat in altum, potisſime vero Domini uterque Ioannes, alter Strigonienſis Archiepiscopus, alter vero Episcopus Quinque eccleſienſis, in Sclavonia humilis ſub tecto nobilitatis geniti, etc.* Unde apparet, etſi non habuerit parentes e Summatum et procerum numero, vere tamen nobiles habuisſe Sclavenini generis.

Neque illud eſt omittendum, ut ingenio admirabili, ita excellenti formae dignitate, et ſingulari prorſus corporis pulchri-

chritudine fuisſe praeditum, quam non injuria nonnulli, mutam appellarunt commendationem. Extat Epigramma noſtri de ſe in Vgonem Lib. I. num. CCCV. in quo cum *ſanguinis clari nobilitate*, tum *pulchro pectore praeſtare* ſe affirmat. Et Eleg. Lib. I. Elegia IX. v. 87. ſq.

Si vos ingenium, ſi florida tangeret aetas,
Si ſpecies; certe vivere dignus eram.

Sed et ex Elegia Titi Veſpaſiani Strozzae Lib. II. Eleg. IX. idem colligere licet, ubi v. 23. ſq. ſic Ianum laudat:

Quid formae decus, et mores, ſanctumque pudorem,
Quid referam vitae candida facta tuae?

Habemus et alia hujus rei teſtimonia, quae nunc omittimus.

Ceterum, ut ad genus revertar, longe illuſtrior erat familia materna *Vitezia* cognominata, Sclavenicae pariter originis, unde mater ſua *Barbara Vitezia* fuerat oriunda. Ex hoc genere fuit non modo frater ejus mulieris Ioannes Vitezius, celeberrimus primo Varadenſis epiſcopus, dein Archiepiſcopus Strigonienſis; verum etiam alter Ioannes Vitéz, Epiſcopus Sirmienſis; quo de Galeottus in ſuo libello, De dictis

dictis et factis Matthiae regis cap. 27. ſcribit; *eum in Iure pontificio et ſtudiis humanitatis eruditum, ſtatura procera et pulcra, et in aetate juvenili capillo cano, et ingenio verſuto; fuiſſe olim ſuum diſcipulum et contubernalem, ſed Matthiae regi aliquantisper inviſum. Nam cum conſangvineus esſet Ioannis Archiepiscopi Strigonienſis, et alterius Ioannis Quinque eccleſiarum episcopi, qui a rege Matthia ad regem Poloniae, non ſine maximo periculo deſciverant, viſum adhuc fuiſſe in Ioanne Vitéz, inimicitiae veteris et conſangvinitatis reliquias remanere, cet.* Nunc tantum illud adhuc de hoc Io. Vitézio Episcopo Sirmienſi addimus, hunc eundem Ioannem Vitezium a quibusdam exiſtimari, fuiſſe eundem hominem, quem Aldus Manutius, corrupto vocabulo Ianum Wyrtheſium, (vel ut eſt in Iani vita a Budenſi editore conſignata, Ianum Vértheſium) Pannonium appellat; cui Athenaeum ſuum Venetiis anno demum 1514. in fol. editum inſcripſit. Qua de re judicare non posſumus, cum libri Manutiani inſpiciendi copia nobis nulla detur. Illud certum eſt, inter Epistolas Matthiae regis, Casſoviae A. 1743. editas. epistola 70. memorari hunc Ioannem Vitéz

téz Epiſcopum Sirmienſem et regis apud papam legatum. Ab hoc diverſus eſt fortaſſe, (etſi quidam eundem dicant,) Ioannes Vitéz Veſprimienſis Epiſcopus, de quo Tubero Lib. 3. cap. 6. prodit, eum *Veſprimio tradito ad Maximilianum defeciſſe, eoque facto labem nomini Sclavenorum inuſſiſſe.* Fuit et alius ex eadem gente, *Ladiſlaus Vitezius*, cujus extat oratio ad Sixtum III. pontificem, nomine Matthiae Hung. et Bohemiae regis habita Romae. De quo vide Czwittingerum. Denique inter cognatos Iani Pannonii jure memorari poſſunt et debent duo viri nobiliſſimi et vates politiſſimi, Petrus Garazda, et alius quidam poëta anonymus, cujus epitaphium a ſe ſibi vivo confectum, Albae Iulae (nunc Carolinae) Transſilvanorum, in templo majori arcis (ubi tot regum, principum et illuſtrium virorum oſſa recondita et reliquiae jacent) nigro inciſum marmori ſuperioribus temporibus legebatur, et paſſim apud ſcriptores, non tamen ſine lectionum varietatibus quibusdam extat, his verſibus expreſſum:

Mechanechen. (Alii: Megerechen Ar. Co.)
De ſe ad Lectorem:

Quem non livor edax, alienaque gloria torquet,
Perlegat haec Latiis, (*al. claris*,) carmina caeſa, notis.
Tres fuimus clari cognato e ſangvine vates,
Pannonicam Dravus qua rigat altus humum.
Vnus erat Ianus, proprias qui primus ad oras,
Duxit laurigeras, ex Helicone, Deas.
Alter erat Petrus, genitus de ſtirpe Garázda,
Qui tulit Aoniae, plectra ſonora lyrae.
Vltimus hos ego ſum cognata e gente ſecutus,
Tertia doctarum gloria Pieridum.
Strigonia Petrus requieſcit in arce; Ioannem
Ipſa ſuum ſedes Pontificalis habet.
Hic mea, ſi dederit ſors, oſſa recondite; ſi non;
Nil noſtra, jaceant quolibet illa loco.
Spiritus aethereas, poſtquam reſolutus, ad auras
Evolat, haud magni membra caduca facit.
Celſus ab aethereo demiſſus patre, revertit,

A:

At corpus, de qua ſingitur, intrat humum.

Coelum (*al. Coelo*) divinae eſt requies fauſtisſima (*al. certisſima*) mentis,

Parvula (*al. Hic ſit*) corrupti corporis illa domus.

Ne longum, lector, damnes in marmore carmen;

Scripſimus ignotis, iſta legenda, viris.

Vivens ſcripſi A. D. 1507. *vixi annis* 37.

Quid ais? tace! Zoile tace.

Ex hoc epitaphio, quod in iſto lapide literato templi Albani asſervatum eſt, ſine ulla dubitatione colligitur, tres clarisſimos ejus Seculi poëtas in Hungaria, Ianum Pannonium, Petrum Garazdam, et hunc ipſum inſcriptionis ſepulcralis auctorem ignoti nominis, cognato genere oriundos, et ſangvine conjunctos fuisſe; eoque Ianum Pannonium, illuſtrem olim in Hungaria Garazdarum gentem, ſangvine et cognatione attigisſe ſic ſatis liquido conſtat. Dolendum eſt! horum duorum ſcripta funditus intercidisſe, et novisſimi hujus ipſum etiam nomen et vocabulum oblivione penitus deletum atque ſepultum!

Tranſeo nunc ad germanos Iani Pannonii; nam et fratres

et ſororem habuiſſe certum eſt, eumque ultimo natu editum. Sic enim Lib. I. Elegia VI. ſive matris epicedio v. 93. ſqq. loquitur:

Longe Livor eat; geminos me praeter habebas,
Sed tamen ambobus carior unus eram.
Omen ineſt genitis, et habent praeſagia matres;
An magis in ſera ſtirpe moratur amor?

Hoc e loco apparet, non filiorum modo, ſed et filiarum, poſtremum natu fuiſſe Ianum, cum ſe *ſtirpem ſeram* appellet. Cum vero dicat: *geminos me praeter habebas*, hinc cognoſcitur, duo fratres ſe majores habuiſſe; quamvis aliter olim exiſtimarim, nunc tamen, re curatius perpenſa, ſic judico: tres utique mares Barbaram peperiſſe, quorum minimus fuerit noſter Ioannes. Horum fratrum unus, Iano in Italia adhuc abſente, eoque ante annum 1458. mortuus fuiſſe videtur. Nam in epicedio Racacini, famuli ſui, Eleg. Lib. I. Eleg. XV. v. 187. ita loquitur:

Sume ſimul lacrymas fratri paullo ante negatas.

Sctiptam enim illam Elegiam in Italia, inde patet, quod Racacinus in curſu equeſtri, Ferrariae celebrari ſolito, effuſus

equo

equo perierit, defletus ab urbe et aula tota. Alterius autem fratris meminit ut vivi v. 101. ſq Lib. I. Eleg. IX. ſcripta A. 1464. ut e MSto liquet:

Heu! quod nec frater, nec adeſt ſoror optima nobis,

Quae digitis oculos condat, et oſſa legat.

Vnicam autem hanc ſororem germanam habuit, de qua in Threno Lib. I. Eleg. VI. v. 121. ſq.

Flebant cognatae, nuper tua cura, puellae,

Clauſura et viſus, filia moeſta, tuos.

Haec ſola filia matris, fuit germana ſoror, ceterae cognatae tantum, neque forte Iani cognatae ſed Barbarae matris, e Viteziorum ſtirpe oriundae. Et ſic omnino videtur accipiendum quod ibidem paullo inferius v. 137. ſqq. ait:

Pupillae certe nondum nupſere ſorores,

Turba magiſteriis inſtituenda tuis.

Quarum quis molles nunc imbuet artibus annos?

Quis tenerae cuſtos virginitatis erit?

Sororis autem germanae mentionem facit etiam Lib. I. Elegia XIII. De inundatione A. 1468. ſcripta, v. 197, hoc modo:

Surge age cara ſoror, ſuperantem nubila Olympum

Scandamus, cet.

Sed haec de his ſufficiant.

Caput. III.

Iani P. pueritia usque ad annum aetatis 13. *dum in patria fuit.*

Oppido pauca ſunt quae de Iani tenera aetate in patria acta proferre posſumus. Cl. Horányius in vita Ioannis de Zredna meminit Angeli Colocii, qui in ſuo de Rep. literaria libro, Iani noſtri patriam et ſtudia puerilia deſcribat, ſed qui liber Colocii nobis non eſt viſus. Matri ſuae Barbarae carisſimum omnium liberorum fuisſe, praeter ea quae ſuperius ex Eleg. VI. Lib. I. attulimus, teſtantur hi quoque ejusdem Elegiae v. 91. ſq.

Tu me complecti, tu me velut unicus esſem

Comere, tu blando ſveta fovere ſinu cet.

Aetate tenera multis fuit objectus periculis, Lib. I, Eleg X. v. 5. ſq.

Vt

Vt taceam mater pia quae narrare ſolebat,

Aetatis tenerae mille pericla meae.

Erant illa pericula ejusmodi, quae infantes et pueruli minuti incurrere ſolent, ut lapſus, vulnera et ſimilia. In ipſa extrema pueritia erudiri in patria coepisſe conſtat ex Eleg. Lib. I. Eleg. VI. v. 97. ſqq.

Hinc ubi jam certo fixi veſtigia greſſu,

Deſiit et blaeſos frangere lingva ſonos;

Protinus ingenuas docilem transmittis ad artes,

Otia nec pateris ducere lenta domi.

Quicquid lana tibi, quicquid tibi tela lucelli

Attulerat, merces erudientis erat.

Imbiberam tenerae vix prima elementa Minervae,

Nec mala venturi jam documenta dabam, cet.

Cum ergo jam tum *docilem* ſeſe fuisſe, *nec mala venturi jam documenta dedisſe* ait, hinc indolem pueruli ad ſtudia percipienda natam discimus. Porro cum dicat ſe, cum primum articulate loqui coepisſet, ſtatim a matre transmisſum ad artes, neque ſibi concesſum ut otia domi tereret; videtur ſignificare velle, nullum literarum ludum in ſede natali fuisſe,

ſed in aliud oppidum vel pagum, penatibus relictis, ſtudendi gratia ſe conferre debuiſſe. Sunt qui arbitrentur a Ludovico jam rege Gymnaſium Quinque eccleſiis inſtitutum fuiſſe. Quod ſi eſt, fieri poteſt, ut ibi, velut loco, natali ſolo proximo, ſaltem non nimis remoto, trans Dravum amnem, puerilem aetatem filii, mater erudiendam curaret, Sed hoc e ſola conjectura et opinione. Scholas autem triviales, quae vocantur, haud dubie ea jam tempeſtate Hungaria et Sclavonia habuit, imo jam tum ſub Rege Sigismundo. Porro in his: *Quicquid lana tibi* cet. deſcribit matrem viduam tenuioris fortunae mulierem. Cum enim necdum fortaſſe Io. Vitezius frater ſuus, noſtri avunculus, Praeſul eſſet Varadinus; nobilitas generis cum re conjuncta non erat; eoque vidua Barbara, plurium mater liberorum alendorum, redigebatur ad paupertatem et inopiam, telam texendo eamque vendendo pecuniolam conficiebat, ex qua mercedem praeceptoribus pendebat. Sic itaque vitam agebat Ianus puer usque ad A. C. 1447. aetatis tertium decimum.

Caput. IV.

Vndecim anni Iano Pannonio apud Italos exacti.

Anno 1447. Vere, ut videtur, aetatis anno decimo tertio, h. e. natus annos 12. et ſex fere menſes, a Io. Vitezio tum jam pridem Episcopo Varadenſi, viro magnis in rebus publicis ſaepiſſime verſato, Ianus in Italiam miſſus fuit ad Guarinum Veronenſem. Nam ea tempeſtate Hungari, ut et aliae Gentes Europaeae, ad ingenii culturam accipiendam in Italiam ſe conferre ſolebant; ubi renatae poſt longam barbariem literae, caput extollebant, inque ſingulis fere urbibus doctisſimi utriusque lingvae viri, magna pecunia a viris principibus vocati, omnia doctrinarum genera diligenter tradebant, et ab omnibus cupidisſime excipiebantur. Haec ita de ſe Ianus teſtificatur in epicedio matris, v. 103. ſqq.

Imbiberam tenerae vix prima elementa Minervae,
Nec mala venturi jam documenta dabam;

Cum tuus Auſonias tradit me frater ad oras,

Longinquo et Muſas quaerere in orbe jubet.

Illius impenſa Venetas celebravimus urbes,

Dum Sol undecies per ſua ſigna redit.

ubi mire loqui videtur. Nam Ferraria, ubi tum Guarinus profitebatur, et plurimum Ianus temporis exegit, non erat tunc urbs Venetorum, utpote quam Leonellus Eſtenſis Marchio tunc ditione teneret. Venetiis autem ipſis itemque Patavii, Veronae, Venetis urbibus, an unquam ſtuduerit, incompertum nobis eſt. Niſi quod panegyricum Iac. Antonio Marcello ſcriptum, viris doctis Academiae Patavinae dedicaverit, quod indicio esſe videtur, Patavii quoque noſtrum aliquamdiu didicisſe. Quod igitur ad *urbes Venetas* attinet quas undecim annis ſe celebrasſe ait, per eas accipi et intelligi non posſunt urbes, Venetorum ditioni id temporis ſubditae. Quare nihil aliud relinquitur, quam ut putemus, ex veteri geographia ſuo more ſic fuisſe locutum; quibus temporibus nulla quidem adhuc urbs Ferraria fuit; ſed quae poſtmodo ei loco inaedificata cenſetur a doctis, ubi *Forum Allieni* fuerat; qui locus antiquo aevo ad Venetos per-

pertinebat, quorum fines Pado flumine, mari Adriano, et limitibus Euganeis terminabantur. Liquet igitur, cur Ferrariam ſuorum ſtudiorum unicam, aut ſaltem, praecipuam ſedem, dixerit urbem Venetam. Deinde in Venetia antiqua erant, Patavium, Ateſte, Vicetia, Altinum, Opitergium, Concordia, et aliae; ex quibus Patavii forte aliquid moratus poſtea fuerit; primo autem et maximam partem Ferrariae Guarinum audivit. Quodſi epiſtola ad Fontium, genuinus Iani noſtri foetus esſet, inde nullo negotio effici posſet, Ianum etiam Florentiae ſtudiis operam navasſe. Nunc ſatis ſuperque conſtat nobis, epistolam illam cujusvis potius quam Iani Pannonii esſe. Nam in ea v. 29, ſcribitur, tunc Laurentium Medicem rerum jam fuisſe potitum:

Temperet ut cives tanta Laurentius arte. cet.

Atquin hoc demum poſt obitum patris Petri Medicis factum eſt, qui Petrus, quod nemo dubitat, obiit eodem anno quo Ianus noſter, 1472. Niſi igitur Ianus Pannonius ab inferis excitatus, ſcribere epistolam illam ad Fontium non potuit. Sed alibi pluribus argumentis omni exceptione majoribus ita hanc rem confirmasſe nobis videmur, ut neminem unquam

tam

tam temerarium fore arbitremur, qui hoc amplius in dubium vocare auſit. Omnia igitur illa, quae viri quidam doctiſſimi in vita Iani deſcribenda huic Elegiae ad Fontium ſuperſtruxerunt, cujusmodi ſunt; quod Ianus Andronicum philoſophiae peripateticae, Marſilium vero Ficinum Platonicae doctorem habuerit, et hunc Marſilium *ingentem* appellet, et quae alia ex hac Elegia depromta Iano Pannonio tribuuntur, omnia inquam liquido falſa esſe conſtat. Alibi diximus noſtram conjecturam de ſcriptore elegantis hujus Elegiae; nempe nobis eam ſedere opinionem; epistolam hanc a celeberrimo illo Angelo Politiano ſcriptam, Fontioque Florentiâ misſam fuisſe. Cum autem Sambucus carmina Iani diſperſa in Italia et Hungaria colligeret; forte incidisſe in hanc quoque epistolam, politam ſatis neque Iano indignam, quae inſcripta hoc modo esſet: *Barth. Fontio An. P.* Hinc exiſtimasſe Sambucum, illas literas non ſatis diligenter ab ſe conſideratas: *an. P.* Iani Pannonii nomen indicare, itaque deceptum inter carmina Pannonii temere retulisſe. Sed de his ſatis. Nunc ad viam. Cum itaque Ianus in Italiam mitteretur, recta venit Ferrariam ad Guarinum Veronenſem, ibi

mag-

magna cum eruditionis fama literas Graecas Latinasque profitentem; quod evidentisſime patet e quadam Elegia Iani, Lib. II. Eleg. IV. ubi de Galeotto Martio Narnienſi, ſummo ſuo amico et familiari, v. 45. ſqq. in haec verba ſcribit:

Multa pererraſti Latiae vagus oppida terrae,
Pectora dans doctis erudienda viris.
Demum Ferrariam felici es ſorte profectus,
Et Phaëthontei, flumina clara, Padi.
Hic erat eloquio praeſtans undante Guarinus,
Pieridum Latio ſummus in orbe parens.
Hunc tu per geminos audis cum ſedulus annos,
Luce cibi parcus, nocte ſoporis eras.
Ipſe ego tunc Italas primum devectus ad urbes,
In caſtris coepi tiro merere ſuis.
Magnus amicitiae junxit nos protinus uſus,
Ex illo noſter tempore crevit amor.
Idem nos tenuit thalamus, tum menſa duobus
Communem ſemper praebuit una cibum.
Saepius ad mediam noctem vigilavimus ambo,
Cum cuperent ſomnos lumina feſſa dari.

Sae-

Saepius ante diem ternis ſurreximus horis,
Cum foret in tepido dulce cubare toro.
Fidere cui poſſem nullum te praeter habebam,
Nullum, qui curam vellet habere mei.
Tu pariter fratriſque vicem, patruique gerebas,
Inque loco matris, inque parentis eras.
Quantum ſis de me meritus, ſi dicere vellem,
Ora prius nobis mille petenda forent.
Nec me alius docuit, ſoleo quod ſaepe fateri,
Apta in legitimos cogere verba pedes.
Nunc quoniam vates inter numerare vetuſtos,
Imbutus monitis glorior esſe tuis. etc.

Ex his videmus, Galeottum jam tunc Ferrariae fuisſe, et Ianum in Italiam devectum, continuo in caſtris Guarini tironem merere coepisſe, h. e. in diſciplinam Guarini datum primo fuisſe, ibique Ferrariae amicitiam Galeotti protinus ſibi conciliasſe, ut eodem lecto menſaque uterentur; ſaepe ad mediam noctem ambo vigilasſe, ſaepe hora tertia matutina ſurrexisſe; fidum porro ſibi ſodalem in Galeotto reperisſe, ejusque ductu verſus ſcriptitare coepisſe, etc. Neque

eſt

eſt praetermittendum, ſumtibus avunculi ſui, in ipſis aedibus magiſtri ſui Guarini hospitium fuiſſe conductum, ibique cum Galeotto et aliis contubernalibus noctes atque dies in ſtudia incubuiſſe. Sic enim ipſemet in Panegyrico Guariniano v. 604. ſqq.

Haec inter, cunctis late tua janua tota
Luce patet; notae deſervit vespera turbae,
Quam tecum domus una tenet; non temporis illic
Incasſum momenta volant; ſaepe exule ſomno
Ad pingves longa vigilamus nocte lucernas,
Aethereis noſtros aſtris mirantibus ignes.
Agmine tu medio ſublimis vel nova dictas,
Vel dictata iteras non intellecta, paratus
Quaeſiti decies aenigmata ſolvere nodi. etc.

Luculentus etiam admodum locus hanc in rem extat apud Raphaëlem Volaterranum Anthropol. Lib. 21. p. m. 639. ubi de Guarino: *Varinus Veronenſis Ferrariae praecepit, diligentia et labore infinito. A diſcipulis quos domi alebat, et contubernii et diſciplinae mercedem exigebat. Inter quos fuit frater meus Ioh. Baptiſta, praecocis adoleſcens ingenii,*

cui

cui ſi Deus dediſſet majores in luce moras, poterat et ipſe forte lumen aliquod litteris adferre. Fuit (intellige inter illos diſcipulos domi altos,) *et Vngaretus cognominatus, vir Pannonius, poſtea praeſul Quinqueeccleſienſis, qui Graece Latineque ſive carmina ſive proſam ſcriptitabat, ut non barbarus ſed Romanus legitime imbutus videretur.* cet. In hac domo Guarini ſe vixiſſe non minus caſte quam aedituos in templo gloriatur, Paneg. Guar. v. 613. ſqq:

Sed minus eſt cultas abs te quod diſcimus artes,
Plus quod virtutes. procul hinc maleſvada libido,
Improba rixa procul. Sic te ſub praeſide cuncti
Degimus, aeditimos templis ut degere fas eſt.
Tanta quies animis, ea caſti cura pudoris!

Sed tamen in quodam epigrammate Lib.I.num.CCLXIII. nunc primum e MS. edito ſcribit ſe a ſociis in lupanar abſtractum fuiſſe. Praeterea habebat Guarinus ſex filios totidemque filias atque etiam ancillas. Accidit igitur ut unus filiorum ancillae vitium offerret, indeque puer in ipſis tectis et aedibus Guarini naſceretur; quod probrum cum in urbe tota narraretur, ipſe tamen Guarinus more plerorumque patrum familias, nihil e-

jus

ſus rei ſciebat. Hanc rem eleganti epigrammate Lib. I. num. LXIII. ita perſtringit:

Cur, Guarine, tuos, indulgentisſime patrum,
Non cobibes natos turpibus a vitiis?
An neſcis pridem quid fecerit unus eorum?
Fecit ut ancillae ſis ſocer ipſe tuae.
Vt vernae ſis, fecit, avus; jam fabula tota
Vrbe volas, et adhuc te tua probra latent.
Cur, inquam, Guarine, tuos, mollisſime patrum,
Non cobibes natos turpibus a vitiis?
Talia in ancillas nam ſi illis ſaepe licebunt,
In natas, aliis crede licere, tuas.

In Panegyrico tamen Guariniano hos Guarini liberos v. 662, *ſanctam* ejus *propaginem* appellat, ipſumque Guarinum a ſeveritate ſic falſo commendat v. 831. ſqq.

Haud tamen idcirco tibi diſciplina tuorum
Laxior; horreſcit rigidos domus intima frenos,
Ac famuli dominum, nati novere parentem,
Quos tu temperie, tali moderaris, ut illos
Non premat asperitas, non indulgentia ſolvat. cet.

E filiabus Guarini erat una nomine Libera, quam quin amaverit formoſulus adoleſcens Ianus, praeſtare non auſim. Huic Liberae, quae Salomoni Sacrato, et Flordemiliae, quae Guilielmo Caleſino nupſit, epithalamia ibidem Ferrariae ſcripſit peradoleſcentulus, quae extant Lib. II. Eleg. XV et XVI. Posſent alia plura hujus generis de Iani amoribus dici, quae in praeſentia tranſimus.

Cum igitur esſet in Italia Ferrariae, intra quatuor annos continuos quam eo venerat, patriam non vidit. Quo temporis intervallo tantum in literis profecit, ut ſextum decimum agens aetatis annum, omnis Italiae et doctisſimorum in ea virorum oculos et admirationem in ſe converterit. In aula Principis Ferrariae Leonelli Ateſtini illuſtrari coepit et amorem illius Marchionis inire per Ioannem Antonium Episcopum Mutinenſem, de quo tunc fecit epigrammata quaedam, quae extant, ubi inter alia de hoc praeſule Epigr. Lib. I. num. LXXXII. v. 5. ſqq. haec habet:

Tu legis et laudas, tu carmina noſtra tueris,
Tu patrio externum ſolus amore foves.
Nec ſatis eſt quod me, ipſe pia complectere cura,

Vt

Vt veniam tota clarus in urbe, (Ferraria) *facis.*
Nec dubitas ſacri mihi conciliare favorem
Principis, et per te, nos Leonellus amat.

Hunc Episcopum primum patronum Muſis ſuis appellat epigrammate quodam. Intra hoc quadriennium multa ſcripſit, ut de Leonello epigrammata aliquot, nec non epitaphium ejus Lib. I. num. CCXXXIII. Mortuus autem fuit Leonellus A. 1450. in cujus ſunere Guarinum orationem habentem audivit. Vid. paneg. Guar. v. 714. ſqq. Succeſſit illi eodem anno Borſius, de quo pariter elegans ejus extat epigramma Lib. I. num. CCXVII. Hoc eodem anno 1450. qui Iubilaeus, ut vocant, erat, et in quo undique in Italiam Romamque confluebant ad peccatorum veniam obtinendam otioſi homines et populi innumerabiles, elegantisſime luſit et ridiculam iſtam peregrinandi ſacrorum cauſa ſuperſtitionem perſtrinxit pluribus epigrammatis, quae ſuppreſſa a noviſſimo editore, jam a Sambuco et Pareo pridem emiſſa et divulgata fuerunt. Per idem tempus ſcripſit etiam Carmen ad Imperatorem Fridericum III. pro pacanda Italia. Hic enim Caeſar ad coronam a papa accipiendam et uxorem ducendam, Italiam intravit Kalendis Ianuariis anno poſt Iu-

bilaeum primo, ut loquitur Aeneas Silvius in Hiſtoria Frid. III. Cum enim venturi Caeſaris fama A. 1450. per totam Italiam ſpargeretur, eodem ipſo anno hoc carmen compoſuit, anno aetatis ſexto decimo. Vnde merito posſumus mirari, a puero illo profectum atque conditum hoc carmen ſic ſatis politum; ſic tamen, ut nonnulla adolescentiae ſigna et indicia eidem impresſa appareant, cujus generis illud alicui videri posſit, quod Gerundia in O correpta in eo reperiantur, v. 109. *Adventus orando tuos.* et v. 358. *Et cantando tuos.* id quod nunquam a Iano in aetatis maturioris foetibus factitatum. Quanquam certe, ſi verum quaerimus, in his quoque excuſari posſit, Senecae, Iuvenalis, Auſonii, Nemeſiani et aliorum veterum (ne Flaminium et ſimiles e recentioribus commemorem) auctoritate; quos ſi quis prorſus in modulis ſyllabarum imitandos neget, nec niſi Virgilii, et qui aevo Auguſti floruerunt, poëtarum exempla ſequenda putet, ejus ego judicium non video quid differat ab iſta Ciceronianorum, qui ſuperioribus temporibus ita appellabantur, ſuperſtitioſa ſollicitudine, qui vocibus ullis in oratione Latina uti, praeterquam his, quas in Cicerone reperisſent, nefas

nefas ducebant. Ex hoc itaque poëmate tam terſo, numeriſque paene omnibus abſoluto, divinum Iani ingenium in primo aetatis ineuntis flore ſatis elucet. Eant jam et jactent multi ſuos eruditos praecoces, et hunc tam elegantem et eruditum puerum juxta cum iis commemorent, qui nunquam nati fuerunt! Ad argumentum hujus carminis faciunt Aeneae Silvii verba; qui cum pluribus expoſuisſet, quibus modis Caeſar in Italiam ingresſus, ab Italis exceptus fuisſet in urbibus Tarviſina, Patavina, etcet. haec ſubjungit: *Nunc Praelati eccleſiarum, nunc Praeſides civitatum, nunc ſcholarum rectores, doctique viri, coram Caeſare orantes, ut eſt mos Italis, eminentiam Imperii, praeſtantiam Imperatoris efferre laudibus; offerre dominium Venetorum, commodare Italiam ſuo principi, damnare lites, ſvadere ſtudia pacis, precari Caeſarem, ne ante Italia excederet, quam provinciae ſtatum compoſuisſet.* En tibi occaſionem et argumentum hujus poëmatis, ab Aenea Silvio plane expresſum! Vtrum autem hoc carmen Ianus Ferrariae cum illac Caeſar tranſiret re vera coram eo pronunciaverit, an tantum ipſi exhibuerit, nihil comperti habeo. Non tamen abhorret

ret a veri ſimilitudine, recitasſe Ianum etſi peradoleſcentem paeneque puerum. Nam et alii pueri, praecipue illuſtres, hoc idem faciebant. Galeatius Franciſci Sforciae principis filius, novem annos natus, Ferrariam tunc una cum matre Blanca Maria venit, ibique *orationem ad Fridericum Latinam intrepide apteque pronunciavit, adeoque vultu geſtuque ſerioſum ſe praebuit, ut in aetate tenerrima virilem animum omnes agnoſcerent*, ut ait Aeneas Silvius loco ante memorato. Ex his evidens eſt, ſi temporis ratio haberetur, omnium primo loco hoc Carmen inter poëmata majora ponendum esſe.

Hoc eodem anno 1451. (forte poſt tranſitum Caeſaris) accidit, ut avunculus Epiſcopus Varadenſis Ianum, quem jam per quadriennium ipſe et mater Barbara non viderant, etſi ejus videndi cupiditate flagrarent, in patriam revocaret. Ianus autem acceptis avunculi literis vehementer angebatur; nam neque manere per matris carisſimae et avunculi optimi deſiderium poterat; neque redire in Hungariam, propterea quod neſcio quid aeris alieni a Guarino praeceptore contraxerat, qui ſenex avarus et ſuſpicioſus eum dimittere, niſi

de-

debitum ante ſolvisſet, noluit. Quare (necdum enim Marcello innotuerat) confugit ad ſuum illum patronum Praeſulem Mutinenſem, eumque rogat, ut pro ſe fidejuberet; quod et fecit Episcopus Mutinenſis, atque ita Ianus a Guarino dimisſus fuit in patriam, ibique moratus eſt ad 18. Martii diem. Verſus illi, quibus rogabat Mutinenſem, extant inter epigrammata Lib. I. num. CCLIX. in hanc ſententiam:

Nec remanere queo, ſed nec diſcedere posſum,
Talia jasſa vocant, talia vincla tenent.
Presſus in anguſto quid agam; quae Numina clamem?
Sunt, puto, ſed miſeris dura favere negant.
Te precor, affer opem, Mutinae placidisſime Praeſul,
O decus! o Muſis, prime patrone, meis!
Non tamen aut Boreae pulſurum flabra cucullum,
Aut mulae poſco, mollia terga, tuae,
Nec frenum, aut ſellam, nec quicquam tale; quid ergo?
Debeo Guarino pauca; fidejubeas.

Hinc diſcere licet, ignotum adhuc fuisſe Ianum ſummo poſtea Maecenati ſuo Iacobo Antonio Marcello. Vt tamen hi verſiculi certius intelligi posſint; pono epiſtolam Ioannis Vi-

tezii Epiſcopi Varadenſis, ad Mutinenſem Praeſulem Ioannem Antonium datam, quae eſt 75a inter epiſtolas Ioannis de Zredna, editas Tomo II. Rerum Hungaricarum a Schwandtnero: *Ex parte Epiſcopi Waradienſis, ad Dominum Ioannem Antonium, Epiſcopum Mutinenſem, Conſiliarium Domini Marchionis Ferrariae. Reverende Pater! Pollere ſe oſtendit Reverenda Paternitas veſtra, ea, quae ceterarum virtutum prima eſt et fundamentum, fide egregiâ, dum peregrinis et nondum cognitis fidem absque ſtipulatione habet praeſtatque; quo conſtat, ut virtus non novit de omnibus, niſi virtuoſe praeſumere. Vidimus itaque ſcripta Reverendae Paternitatis veſtrae, vidimus etiam Ioannem noſtrum, per ea ſcripta et eorum vigorem ad nos usque demisſum. Accepimus utrosque jucundo animo, aeque litteras ut fratrem. In illis quidem benivolentia, in hoc vero viſione, non mediocriter delectati. Magnas habemus gratias Reverendae Paternitati veſtrae, atque illi ſuo virtuoſo et benivolo animo; cui utinam idoneos et obligatos, ad recognoſcendum hujus beneficii vicem, nos offerre posſemus. In id certe eniti in animo eſt, modo vis atque occaſio non deſit. Nunc Ioannem*

ip-

ipſum remittimus Paternitati veſtrae Reverendae, offerimusque poſt quem nos quoque propediem per idoneum nuntium ſubſequemur. Placeat interim eundem, ut in fide hactenus, ita deinceps in curam ſuſcipere; cui etiam huc usque Reverenda Paternitas veſtra prius ultro ferre, quam rogata deferre patrocinium maluit. Quem iterum atque iterum recommittimus. Ex Buda 17. Martii Ao. Domini M. CCCC. LI.

Non ab re fuerit etiam Pauli de Ivanich viri coaevi adnotationem ſubjectam asſcribere, quae ſic habet: *Hoc cum ſequenti ita intellige; quod cum ipſe Episcopus Varadienſis miſerat pro ſupradicto fratre ſuo, ut ad aliquot dies reduceretur ad patriam; idem juvenis debitor erat Guarino praeceptori ſuo certa ſumma pecuniae, ignorante dicto Episcopo Varadienſi; et abinde exire non poterat, niſi exolveret debita. Unde mox praefatus Dominus Mutinenſis, ob complacentiam ipſius Episcopi Varadienſis, licet eum nondum cognoverit, nec per eum ſuper hoc requiſitus fuerit, fidejusſit ad certum terminum pro dicto Iuvene, et eum ſine obligatione remiſit. Super quo nunc ipſe Episcopus Varadienſis regratiatur eidem.* Ex his lucem accipiunt Epigrammata ad Io. Antoni-

um Lib. I. num. CCLXII. et etiam illa in Gallionem ſcripta Lib. I. num. CCLX. et ſq. Ianus autem non diu domi commoratus haud dubie fuit; interea vero temporis factum esſe arbitramur, ut Martialem ab Aenea Silvio peteret, et verſus alternos ſibi invicem mitterent, quos adhuc ineditos, e MSto recenſuimus, et Epigrammatibus adjunximus Lib. I. a num. CCCLXXXI. ſqq. Sed certum tamen neſcire fatemur. Nam eo anno Aeneas cum Friderico in Italiam abiit, ibique plurima negotia habuit. Illud ſaltem dubio videtur carere, Aeneam nondum fuisſe tunc pontificem Romanum, eoque ante A. 1458. illos verſus amoebaeos fuisſe ſcriptos. Ceterum cum ab avunculo in Italiam rediret Ianus, ipſi rurſus Guarino commendatus ab eo fuit epiſtola, quae in Epiſtolis Zrednae a Schwandtnero editis eſt 74a et hoc exemplo ſcripta: *Ex parte Episcopi Varadienſis ad Guarinum Veronenſem, magnum Oratorem Ferrariae reſidentem. Egregio viro Domino Guarino Veronenſi, amico nobis ſincere dilecto. Egregie vir. Revocatum ad nos Ioannem noſtrum vidimus, olim puerum, nunc magiſtri curam doctrinarumque faciem prae ſe ferentem. Coluimus in eo fraternam perſonam, verum Doctoris imaginem multo*

to amplius. Ceterum diligentia, caritas, inſtituta et benivolentia erga eum habita, quanti apud nos habenda ſint, exhinc experti, jam jam metiri opus habebimus. Eadem quippe ratione qua doctum fratrem amabimus, Doctorem quoque laborantem reficere non aspernabimur. Nunc eundem priori loco et fidei remittimus et recommittimus. Valete. Ex Buda. XVIII. Martii Ao. M. CCCC. LI. Ad hanc epiſtolam in ſubjectis adnotamentis Paulus de Ivanich, Dioecefios Zagrabienſis Presbyter, Rector Altaris S. Pauli Apoſtoli in eccleſia Varadienſi, ita commentatus eſt: *Iſte Ioannes eſt frater ipſius Episcopi, et ſteterat apud Guarinum Oratorem et praeceptorem Rhetoricae in ſtudio quatuor annis, quem ipſe Episcopus ut videret, revocaverat ad ſe, nunc vero iterum remiſit ad ſtudium.* Haec de Iano Pannonio ſonare non dubium eſt. Ex quo intelligi datur, Ianum puerum, cum in Italiam primo venisſet, continuo Ferrariam ad Guarinum pervenisſe, et, ſi Patavii ſtuduit, poſterius id factum esſe, cum jam Ferrariae literis humanioribus probe fuisſet imbutus. Rediit igitur tunc noſter in Italiam anno praedicto 1451. menſe Martio. Reſtat itaque ſep-

ten-

tennium adhuc apud Italos exactum, cujus ſpatio cum plurimas ille res ſine dubio peregerit, multaque ſtilo cum ſoluto, tum carmine conſignarit; ea quando maximam partem perierint, paucisſima pro certo referenda habemus, et ad conjecturas in nonnullis omnino confugiendum. Arbitramur itaque intra hos ſeptem annos factum esſe, ut in gratiam illuſtrisſimi viri Iacobi Antonii Marcelli Veneti ſemet inſinuaret, idque Patavii, ubi in celeberrimo totius Italiae gymnaſio, ſtudiis operam navasſe philoſophicis, poſteaquam Ferrariae diſciplinis humanitatis, Graecis Latinisque literis excultus esſet, opinamur; eaque occaſione factum, ut Marcello, Patavii aedes, et in ejus agro praedia ruſtica habenti, innoteſceret, non tantum, verum etiam in familiaritatem et clientelam a viro optimo et benignisſimo receptus, ſaepisſime apud eum menſae adhiberetur, ſuaque ſingularis eruditio ab eodem Marcello viro ſplendidisſimo, maximisque rebus praeclarisſime domi bellique et mari et terra geſtis inclyto, longe lateque disſeminaretur, Huc faciunt verſus 23. ſqq. in praefatione ad panegyricum huic Marcello poſtea conſecratum in hunc ſenſum ſcripti:

Nunc

Nunc ego ſi divi ſequar alta exempla Maronis,
Temporibus noſtris quis mihi Caeſar erit?
Nempe togatorum generoſus ſtirpe Quiritûm
Marcellus, Venetae, firma columna, rei.
Seu facta inſpicio; factis non clarior alter;
Seu merita; officiis haud prior ullus adeſt.
Ille meis primum Muſis impendit honorem,
Non qualem ficto quilibet ore ſolet.
Ille brevem fecit late diſcurrere famam,
Illius hoſpitiis noſtra refecta fames.
Hunc igitur patri, jungent mea plectra, Guarino,
Dignus et ille ſuo, dignus et iſte, loco.
Iure fuit primus, tribuit qui carmina nobis,
Qui favit ſtudiis, jure ſecundus erit.
At vos, Cecropia propter quos arce relicta,
Maluit Euganea Pallas in urbe coli;
Tam triplicis Sophiae, gemini quam Iuris alumni,
Eſte, precor, noſtris, turba benigna, ſonis.
Nuper laeta meae, plauſit Ferraria, cannae,
Auribus en veſtris nunc graviora damus.

Quo-

Quorum non meruit ſi barbara Muſa favores,
Is meruit, grata quem crepat illa lyra.
Hic nam Marcello foecundi praedia ruris,
Hic Lare natali plus habitata domus.
Hinc dulcis nurus, et longe dulciſſima conjux,
Hic materna ſuis patria pignoribus.
Non minus ut Veneto poſſit Patavinus haberi,
Tot vobis illum, vos ſibi vincla ligant.
Ergo huic praeſtetur, nobis quod forte negatur,
Materia incomtum ſaepe tuetur opus.

In ipſomet autem panegyrico v. 161. ſqq.

Pridem nota tibi, dum vatem magnus egenum
Hoſpitio toties Heros fovet, ac vice juſta,
Excipiunt humilem Tirynthia regna Molorchum. cet.

Non igitur Venetiis, ut quidam ait, ſed omnino Patavii factum reor, ut Marcelli verſus Italicos Ianus in Elegias Latinas converteret, quae tamen, quod dolendum eſt, omnes perierunt, niſi Venetiis alicubi delitefcant. De his ita Ianus in Epigrammatibus Lib. I. num. CCCXXXVIII. et ſq.

Ille ego et haec cecini Dravum generatus ad altum,

Per-

Perlege et haec, ſi quis cetera forte legis.

Saepe ſuas flammas, veteres flevere poëtae

Cuilibet et, pro ſe, Muſa diſerta fuit.

Nos in amore rudes, Marcelli luſimus ignes,

Quos modo vulgari luſerat ille lyra.

Sive voles cultos, Itala teſtudine, rhythmos,

Ille dabit quales ante Petrarca dedit.

Seu cupies elegos Latia ſub lege ſonantes,

Sumetur vacuo, pagina noſtra tibi.

Hac igitur Elegiae a Marcello Italice ſcriptae et ab Iano Latinis redditae verſibus, hodie in Iani opuſculis non reperiuntur. Nam quod nonnulli affirmare non dubitarunt, ea, quae de amoribus inter Iuveniles Pannonii luſus a Sambuco et aliis editos referuntur, eadem eſſe, quae a Marcello Italice primum ſcripta, a Iano Latine pronunciata fuiſſent; id mihi quidem, ut leviſſime dicam, ab omni veri ſimilitudine prorſus abhorrere videtur. Nam primum omnium, ad illa de Marcelli verſibus Italicis a ſe in Latinum converſa, Ianus in hoc egigrammate Lectores invitat, ſuo Marcelliquc nomine diſertiſſime expreſſo. Iam vero cuiquamne credibi-

le eſt Ianum, tam imprudenter omnem verecundiam et pudorem ſic exuisſe, ſrontemque adeo perfricuisſe, ut ſuo Marcelliique ſui Maecenatis optimi nomine praeſcripto, ea vulgo legenda ultro obtulisſet, quae nunc in Iani epigrammatibus reperiuntur? Deinde, Franciscus Philelſus in oratione conſolatoria ad Iacobum Ant. Marcellum de obitu Valerii filioli, ait, Marcellum A. 1461. ad XVI. Kal. Februarias, ingresſum esſe annum quartum et ſexageſimum aetatis. Vidimus autem ſuperius, Ianum, Marcello non ante A. 1451. innotuisſe. Ex quo efficitur, Marcellum quatuor et quinquaginta annos natum, aut eo majorem tunc fuisſe, cum primum haec notitia Ianum inter et eum esſe coepisſet; cum jam Marcellus tot meritis gravisſimus, et rerum variis in bellis geſtarum gloria clarisſimus esſet. Fieri igitur nullo modo potuit ut vir talis tantusque in hoc jam flexu praeſertim aetatis ad ejusmodi Priapeia carmina componenda animum convertendo tam turpirer otio abuteretur. Nihil ab ingenio viri amplisſimi alienius cogitari poteſt. Ad haec, iidem illi viri doctisſimi, qui omnem in Iani operibus verſuum obſcenorum materiam in Marcellum derivare conantur, tamen Epi-

pigramma in Vgonem, Lib. I. num. CCCV. et alterum De ſua aetate, Lib. I. num. CCCXXXII. haec inquam duo epigrammata tantum abeſt ut Iani esſe negent, ut potius ejus nobilitatem generis et diem natalem indidem probent. At vero qui haec duo epigrammata tam turpia et foeda ut ſcriberet in animum inducere potuit, cur non et cetera de Lucia, Laelia, aliis, ſcribere potuerit, nullam rationem probabilem reddi posſe, omnes aequi rerum exiſtimatores et arbitri facile judicabunt. Quid, quod epigrammate in Pindolam ſic ſatis ſpurco et deteſtando, Lib. I. num. CCCLXVI. Ianus ſe ab Italis planisſime diſtingvit? In eo autem, quo ſcribit, ſe a ſodalibus ad Lupanar fuisſe ſeductum, ait, ſe indice Guarinum praeceptorem jam id reſciturum. An igitur et haec ex Italico Marcelli traducta dicent? Plura addere nihil attinet; nam ex his nullo quisque negotio dijudicabit, niſi Harduiniano praeditus ſit ingenio; ea omnia, quae de amoribus impudicis, in Iuvenilibus Iani luſibus referuntur, non a Marcello Italice primum ſcripta et a Iano Latine pronunciata, ſed ipſius Iani propria, ab ipſo poëta ad imitationem Catulli, maximeque Martialis, quem in deliciis ha-

buiſſe conſtat, et inventa et verſibus expolita fuiſſe; et quidem Italia, ut ait Sambucus, magiſtra; Marcellum autem haud dubie ſua Erotica cum de materiis paullo verecundioribus, tum verbis minus praetextatis luſiſſe. Sed ut ex hoc diverticulo in viam redeamus, in editione Bononienſi Anni 1522. extant Plutarchi opuſcula Latine ab Iano verſa, et amico ſuo M. Aurelio, qui Ianum ad ea vertenda hortatus fuerat, dicata, quorum alterum eſt de Polypragmoſyne, ſive Negotioſitate, alterum, de utilitate ex hoſtibus capienda, ſive, quibus modis ab inimicis juvari poſſimus. Huic opuſculo cum praefationem ad M. Aurelium ſcriberet A. 1456. erat Montanianae ſive Montagnanae, pago territorii Patavini, in quo arbitror praedia fuiſſe Marcello, in quibus Ianus tum morabatur. Alteri de Negotioſitate praefationem ſcripſit, eidemque M. Aurelio conſecravit A. 1457. prid. Kal. Mart. Patavii. His itaque duobus ſaltem annis Patavii Ianum fuiſſe, et ſtuduiſſe exiſtimamus. Extat in praedicta editione Bononienſi oratio quaedam Philippica Demoſthenis in Hungaria jam Latine verſa; cetera autem omnia in Italia his ſeptem annis nata fuere; ut taceam Bruti et

Gal-

Galbae vitas ex ejusdem Plutarchi Parallelis Latina civitate donatas; quas Sambucus Veronae ſibi viſas teſtatur, ſeque posſidere Orationem Demoſthenis pro Cteſiphonte paene abſolutam ab eodem Pannonio interprete translatam; quae haud dubie eadem eſt, quae hodieque, licet manca et mutila, in Auguſta Vindobonenſi Bibliotheca ſupereſt, Numero CXCIII. Praetereo nunc alia Carmina, ut ad Ludovicum Gonzagam, Certamen ventorum, item plures Elegias et Epigrammata, quae aetatem tulerunt. His accedunt panegyrici Guarino et Marcello ſacrati, quos magnam partem hoc ſeptennio elucubravit, etſi redux in Hungariam factus, limavisſe, ultimamque manum eis addidisſe videatur, ut mox ea de re pluribus agetur.

Caput. V.

Ultimus Iani ex Italia in Hungariam reditus, et exactum ibi tempus, dum Episcopus crearetur.

Rediit ex Italia anno, ut praediximus, 1458. aeſtivo tempore, certe poſt Nouas Iunias, ut ex Eleg. Lib. I. Elegia I. de fonte Narnienſi apparet, aetatis anno 24. ferme completo. Continuo poſt reditum autumno ſequenti, gravibus morbis, hemitritaeo, dyſenteria, articulorum doloribus, aliisque vexatus, ut vidimus. Eodem tamen ſesquianno aut biennio abſolvit nobilisſima duo carmina ſive Panegyricos, in laudes Guarini atque Marcelli compoſitos, aeterna ingenii ſui monumenta; quorum etſi fundamenta in Italia jam tum jacta fuisſent, finis tamen in Hungaria impoſitus videtur. Ac primum quod ad Panegyricum Guarinicum attinet, ille vivo Guarino fuit abſolutus, et lectus adhuc eidem, ut docemur epigrammatibus iſtis: Lib. I. num. CXXVII.

Per-

Perlegeres noſtrum cum forte, Guarine, libellum,

Dixiſti: (ut perhibent,) baec ego non doceo.

Non baec tu, venerande doces, Guarine, fatemur,

Sed quibus baec fiunt, illa, Guarine, doces.

Et alibi: Lib. I. Ep. LXXIII.

Commendas et amas, Guarine, noſtrum,

Quem de te tibi miſimus libellum.

Sed laudes et ames librum licebit,

Malles verſiculis parem monetam.

ubi avaritiam Guarini reprehendit. Haec igitur de nobili illo panegyrico ſonare palam eſt. Iam omnes ajunt, et vere quidem ajunt, Guarinum obiisſe A. 1460. menſe Decembri, ut vel unus Papa Pius II. in Comment. Lib. 5. p. m. 125. teſtis locupletisſimus eſt. Natum autem fuisſe dicunt A. 1370. eoque decesſisſe nonagenarium. Hoc ſi certum esſet, neſcio quid foret cenſendum de v. 880. ſqq. panegyrici illius, ubi Ianus de Guarino adhuc vivo, ſed jam extrema ſenecta confecto hunc in modum canit:

Quae tibi ſobrietas bos plane contulit annos,

Vt jam bis decimi tangens confinia luſtri,

Non pede, non oculo, non ſenſu debilis ullo,

Purpureum clara ſerves cum voce colorem.

Nam hic 95. jam annos natus Guarinus dicitur. Non igitur A. 1370. ſed antea natus jam erat Guarinus. Ut ut ſit, attingebat ergo tunc Guarinus, cum Ianus hoc ei carmen ſcriberet, bis decimi ſive viceſimi luſtri vel quinquennii confinia, hoc eſt, finem anni 95. aetatis; atque adeo diu vivere et vel tres annos ſuperare poſt ſcriptum hoc poëma non potuit Guarinus. Vnde efficitur, poſt annum 1458. eoque poſt reditum Iani in Hungariam hunc panegyricum abſolutum fuiſſe. Fateor equidem haec *confinia bis decimi luſtri* aliter olim a nobis accepta et pro anno aetatis nonageſimo intellecta fuiſſe. Sed haud dubie illa opinione praejudicata et vulgari, quaſi Guarinus nonagenarius deceſſerit, decepti ita exiſtimabamus. Nam haec verba, ſi modo ſcriptura ſana eſt, aliud ſignificare non posſunt. Luſtrum eſt quinquennium ſolidum. Bis decimum luſtrum, eſt vigeſimum luſtrum, adeoque quinquennium iſtud, quod poſt annos 95. ſequitur. Quodſi porro verum eſt, hoc carmen in Hungaria finitum esſe; nullum erit dubium, quin panegyricus

cus Iacobo Ant. Marcello dicatus ibidem fuerit conſummatus, ex ejus panegyr. v. 7. *iterumne Guarini*, *Ludere vis ludum?* Vide et praefationem ejusdem paneg. Marcelliani. Hoc itaque Marcellianum carmen, poſt illud Guarinicum esſe confectum abunde conſtat. Nec obſtat fortasſe, quod initio hujus paneg. Marcello ſcripti dicat ſe poëta ad Padi ripas procubuisſe, ibique ſibi Minervam apparuisſe, et dictasſe carmen illud de Marcello. Nam illud poteſt ita accipi, ut in Italia Ferrariae vel alibi quidem coeptum ſit poëma illud ante A. 1458. Nec veriſimile eſt opus tam admirabile et tam longum, tantaque hiſtoriarum varietate refertum, unius alteriusve anni ſpatio et ſcriptum et expolitum fuisſe. Ceterum haec, ut quisque volet, accipiat. Neque enim multum refert ad Iani laudem, apud Italos an in patria degens haec duo poëmata condiderit, ſufficit eum fuisſe auctorem talium operum, quibus antiquitatem provocare posſit. Vt in patriam redux fuerat factus, quantum per valetudinem licebat, ſtudiis et literis abditum ſemet involvebat; et continuo Clericum, ut vocant, factum ſuſpicor, quamvis cui ſectae et familiae ſacrae fuerit inſertus,

ignoremus. Supereſt epigramma in Antonium hoſpitem Lib. I. num. CXV. ubi antequam Epiſcopus ſive Antiſtes creatus fuisſet, Clericum ſe appellat, quamvis locus iſte videatur depravatus. Sic autem habet:

Cum me minori Fors locarat in gradu,
Conviva, memini, non ſemel fui tuus.
Nec par fuisſet denegare me pari.
Sed Clericum tunc, nunc vocas Antiſtitem. cet.

quorum videtur ſententia esſe: Cum nondum esſem Epiſcopus, ſed tantum Clericus, tunc ſaepe conviva tuus fui; nunc autem ſum Epiſcopus et tamen veni ad te invitatus. etc. Sed quoquo modo hoc ſe habeat, illud certe aperte falſum eſt, quod nonnulii memoriae prodiderunt. Hoc enim pacto vitam Iani ordinant; Ianum, poſt reditum ex Italis, militiae nomen dedisſe, ſed propter adverſam valetudinem illa vitae ratione mutata, hortatore potisſimum avunculo, animum ad procuranda Dei ſacra adjecisſe, et ita ſacris initiatum, Quinqueeccleſienſi infula a rege Matthia ornatum, etcet. Atqui falſisſimum hoc esſe; neque unquam militem ante, quam Epiſcopus esſet, fuisſe, luce meridiana

cla-

clarius et planius faciemus cap. ſequenti. Cum igitur ſesquiannos circiter peregisſet, A. 1460. vel jam ſuperiore, Episcopus eſt a rege Matthia et Papa Pio renunciatus; id quod ſane colligitur non tantum e diplomate apud Kaprinaium Tomo II. obvio, ſed etiam ex aliquot epistolis, quae inter Epistolas Matthiae regis, loco ſupra laudato leguntur, a Iano Pannonio jam Episcopo Quinqueeccleſienſi exaratis, quibus adjectus eſt annus 1460. quo de genere ſunt, Part. II. epistolae 21. et 22. nec non oratio ejusdem Iani, mandato regio habita ad legatum Papae A. 1460. Ex his facile colligitur, Ianum jam A. 1460. Episcopum fuisſe Quinque Eccleſiarum, ſive Pétſenſem. Cum autem ex Italia A. 1458. redierit, fesquiannum praeter propter in patria ſine illo honore fuisſe, et 26. annorum juvenem creatum Antiſtitem illius Eccleſiae. Hinc in epicedio matris, v. 111. ſq.

At poſtquam patriae me reddidit Itala tellus,

Oltigit et juveni Pontificalis bonos, cet

CAPUT. VI.

De quinquennio quod Praeſul vixit ante, quam Legatus in Italiam mitteretur a Rege.

Praeſul itaque vel anno illo 1460. vel ſuperiore exeunte, creatus, continuo negotiis civilibus rei publicae implicatus eſt, et ſaepe diu *regio lateri adhaeſit*, ut ipſemet ſcribit epistola 68. Part. II. Hinc cum apud Italos fama eruditionis celebraretur, modeſte hanc de ſe opinionem refellit, epistola 36. A. 1462. data, his verbis: *Nam quicquid de me rumor perſonet, ut verum ingenue fatear, nec animi virtutibus adeo unquam excellui; et, ſi quid ſtudiorum olim in Italia hauſeram, ea mihi omnia, oblivione et longa deſuetudine jam effluxerunt.* Et epistola 41. eodem anno ſcripta: *De me autem ipſo parcius te loqui et ſentire velim. Non ſum ego is, quem vel tu exiſtimas, vel fama decantat. Si quid etiam olim de fonte Guarini noſtri hauſeram, id tam longa intermiſſione exaruit.* Similiter loqui-

tur

tur in praefatione ad Locum Homericum, De Glauci et Diomedis armorum permutatione, cujus interpretationem Galeotto inſcripſit, ubi ſic inter alia: *Quod etiam eo libentius feci, ut hoc uno compendio tam Graecas literas, quam verſificandi uſum, longo tandem poſtliminio repeterem; quarum duarum rerum, ab ineunte, ut noſti, pueritia, ſemper fueram ſtudioſus; ſed jam pridem ambas aeque intermiſeram, cum aliis occupationibus diſtrictus, tum quod in hac noſtra barbaria*, (Hungaria) *nec librorum copia dabatur, nec, qui excitare ſtudium poſſet, uſquam applaudebat auditor.* Nihilo tamen minus multa ſcribebat, et in Italiam viris doctis legenda mittebat; Unde in Epigrammate quodam Lib. I. num. LXI. ita jure gloriatur:

Quod legerent omnes, quondam dabat Itala tellus,
Nunc e Pannonia carmina miſſa legit.
Magna quidem nobis haec gloria; ſed tibi major,
Nobilis ingenio, patria facta, meo.

Ceterum Anno jam 1462. Turcicum in Hungaria bellum inceperat Mohammedes II., cum Ali Begum Serviae praefectum, Pannoniam, trajecto Savo, incurſare, igni ferroque

que cuncta vaſtare jusſerat. Qui Ali Begus Sirmienſem in primis agrum tunc invaſit, oppida Kölpén et S. Demetrium incendit, atque ad Futakum usque pervenit. Sed barbaros illos Michaël et Petrus Szokolyienſes ad Futakum adorti, praelium commiſere, Ali Begumque victum fugavere, ingenti praeda recepta. Mox in ripa Savi pugna redintegrata, Turcorum pars enſe, pars naufragio periere, Ali Bego vix fuga ſalutem adepto. Huic bello neque rex Matthias, neque Ianus interfuit. De his vid. Bonfin. Decad. 3. L. 9. Anno autem ſequenti 1463. menſe Decembri, noſter, matrem amiſit ut vidimus. Quo ipſo anno Mohammedes II. ipſe Bosniam invaſit, ejusque regem Stephanum interfecit. Quare Matthias in Bosnam profectus, omnia recuperavit; quod bellum egregie deſcriptum eſt a Matthia rege, Epiſtola ad Pium Papam data, quae eſt 73. Part. II. Et de hac eadem expeditione ſcripſit Ianus jusſu regis Elegiam VIII. Lib. I. Sed neque huic bello interfuit Ianus Panuonius, ut mox patebit. Quare A. 1464. coepit noſter Episcopus quoque, qui adhuc nunquam militarat, belli apparatibus occupari, ut rex ipſe Matthias de illo ſcribit epiſtola 70. Part.

II.

II. De civibus Quinque Eccleſiarum, his verbis: *Cum autem maxime in praeſentiarum, nec ipſi cives, nec Dominus eorum, ſcilicet ejus loci Epiſcopus, litibus, praeſertim tam longinquis vacare poſſint, ſed omnes in negotiis fidei et belli apparatibus plurimum occupentur*, cet. Nempe, poſtea quam Iaiczam caput Bosnae rex Matthias A. 1463. receptam, praeſidio munivisſet; Mohammedes hoc audito A. 1464. celeriter in Bosniam contendit et Iaiczam obſidet. Sed accepto rumore Matthiae cum exercitu adventantis conſternatus, aufugit in Macedoniam. At rex Matthias, cum A. 1464. diademate verno tempore redimitus fuisſet, appropinquante autumno, Savo flumine trajecto, Moeſiam ſuperiorem ingreditur, Zoynichum Raſciae oppidum obſidet. Cumque in illa obſidione duos jam menſes haeſisſet, et ſaepe cum Turcis ex arce erumpentibus acerrima pugna committeretur, Emericusque Zapolya, ad oculum ſagitta ictus regi curam attulisſet, ſubito per exercitum ingens rumor diditur, Mohammedem cum innumerabili copiarum multitudine propediem affuturum. Hac fama territi Hungari, magna trepidatione, ſoluta obſidione Zoynichi, ad Savi ripam, inde-

deque in agrum Sirmienſem rediere. Vid. Bonfin. Dec. 4. L. 1. ſub initium. In his igitur caſtris ad Zoynichum poſitis, et in hac expeditione ſcriptam fuiſſe Elegiam IX. Lib. I. non dubito. In qua Elegia Ianus queritur de morbis ſuis, febri et aliis, atque ita loquitur v. 35. ſqq.

O ego ter demens, umbra qui et pace relictis,
Tentarim lituos, et fera bella, ſequi!
Hic Labor, et pallens Metus, et deformis Egeſtas,
Hic Furor, et vultu, Mars violenta, truci.
Nec dubito, quin Sol, quin aura, et pulvis et imber,
Laeſerit inſvetum, talia ferre, latus.
Dicebant multi; quae te vecordia ducit?
Quo raperis? nervos conſule, tiro, tuos. cet.

Huic Elegiae in MSto praepoſitus eſt numerus Anni 1464. Ex his ergo liquido perſpicitur, Ianum Pannonium jam pridem Praeſulem, hoc primum anno ad militiam acceſſiſſe; ubi ſe diſerte *tironem*, h. e. novum militem et rudem dicit fuiſſe; et *inſvetum ſibi eſſe latus talia ferre*; quae utique ſi alias bellum unquam geſſiſſet, nullo modo Ianus de ſe nunc dicere potuit. Quod mirum alicui videatur, cum ante

ſexcen-

ſexennium fere ex Italia redierit, ante quadriennium Epiſcopus fuerit creatus, et hoc tempore annos 30 fuerit natus. Maxime vero cum anno ſuperiore 1463. gravisſima rex Matthias cum Turcis bella gesſerit, cum Ali Bego et ipſo Mohammede II. qui Bosniam occuparat. Sed forte vel matris aegrotationibus et morte, vel ſua valetudine impeditus, vel aliis de cauſis domi tunc manſerat, et nunc primum pro more et antiqua conſvetudine Hungarorum cum ceteris Antiſtitibus et proceribus caſtra regia ſecutus fuit. Vide omnino Tuberonem Lib. 4. capp 9. et 10. ubi Praeſules quoque militare debuisſe oſtendit et cauſas ejus inſtituti reddit. Extat etiam pasſim Decretum ſive conſtitutio in Comitiis Szegedenſibus ſub initium Anni 1459. ab univerſis ordinibus Hungarorum de ratione belli gerendi confecta, in qua de Sacerdotibus lex hujusmodi lata eſt: *Omnes Praelati, videlicet Archiepiscopi, Episcopi, ac majores Abbates, et Praepoſiti, ſicuti tempore condam Domini Sigismundi Regis, cum eorum banderiis, et numero lancearum exercituarunt; ita et in praeſentiarum exercituare tenentur*, cet. Erroris igitur manifeſti ſunt, qui confirmare non dubitarunt, Ianum,

cum

cum ab Italis rediiſset, tum ſtatim Martem ſequi coepiſſe, ac poſtmodo Antiſtitem fuiſſe creatum. Atqui prius factus eſt Epiſcopus A. 1460. aut non ita multo prius, et hoc anno 1464. coepit militare ſive caſtra regia ſequi ex ritu, legibus, et conſvetudine Gentis Hungaricae; cum id temporis omnes Epiſcopi aeque ac ceteri proceres et nobiles una cum rege bella gerebant. Ceterum quam fortiter ſe Ianus noſter in bello gesſerit, pluribus perſequitur Baptiſta Guarinus, Guar. F. in duobus illis carminibus, quae Iano ſcripſit. Sic enim in priore Elegia v. 37. ſqq. canit:

Hinc Rex Matthias, Turcorum maximus horror,
Pannoniae clarum, Marte togaque, decus,
Praeſide te regni non parva negotia tractat,
Sive domi fuerint, ſive gerenda foris.
Cum te conſilio magnis ductoribus aeques,
Et lingva promtus bella manuque juves. cet.

Et Carmine ſecundo v. 37. ſqq.

Si te forte pudor tua dicere geſta vetabit,
Non erit hic magnus, noſcere cuncta, labor;
Cum valeant claris, dudum vulgata, triumphis,

Illa

Illa vel ignavi, facta referre, ſenes.
Quam longas hyemes, et quantos ſaepe calores,
Pertuleris, durae tempore militiae.
Quae vallata tuo fuerint, quae diruta ductu
Quae defenſa tuis, oppida conſiliis.
Quam rapido cautum curſu praeveneris hoſtem,
Difficilesque nova feceris arte vias.
Vt Maometheae, dederint tibi terga, cohortes,
Non auſae, populi tela videre, tui.
Agmina quae Stygio *fugientia miſeris, Orco,*
Aut ferro, aut altis obruta gurgitibus.
Haec pro Virgineo, geſſiſti praelia, Chriſto,
Hoc habuit ſanctae relligionis amor. etc.

Haec Guarinus de fortitudine bellica Iani! Sed tamen tutius fortaſſe credemus ipſimet Iano, qui in Epigrammate quodam Lib. I. num. XII. talem ſe militem depingit:

Belligeri Proceres, me Regia caſtra ſequentem,
Ne fruſtra ignavi, carpite quaeſo metus,
Quod nunquam adverſos decurro armatus in hoſtes,
Scando nec obſesſi, moenia celſa loci,

Sed ſpectator iners aliena pericula miror,

Non timor hoc, veſtri, credite, cura jubet.

Gloria nempe, viri, petitur longisſima vobis,

Haec faciles plagas, funera grata, facit.

Quodſi pugnantem, rapiat ſors ulla, poëtam,

Quis veſtras mortes, funera veſtra, canet?

Viros autem doctos nunquam fuisſe fortisſimos bello manuque milites, vel Demoſthenis et Ciceronis exempla fidem facere posſunt. Per idem tamen tempus, ſive pacis ſive belli artibus id meruerit Ianus, rex ei indulſit poteſtatem, fodinas omnis generis metallorum aperiendi in ſua dioeceſi Quinqueeccleſienſi, easque colendi, inque proprium et Eccleſiae uſum convertendi. Privilegium regis in epiſtolis Matthiae Part. II. numero 89. legitur, ubi verba regia haec ſunt: *Nos attendentes virtutes, merita ſimul et ſervitia Fidelis noſtri dilecti, Rever. in Chriſto Patris, Domini Ioannis Episcopi Quinque-Eccleſienſis; qui ſicuti altae peritiae eſt, ita virtutibus praeditus; Curiae noſtrae decus et ſplendorem addere ſemper ſtuduit ſtudetque, opportune nobis obſequendo. Ipſe enim non parcens perſonae, ſumtibus*

ſuis;

ſuis; nunquam neglexit, quae vel honori noſtro vel patriae debebat exhibere. - - - - eidem Domino Ioanni Epiſcopo, et dictae Eccleſiae ſuae Quinque-Eccleſienſi, ac ſuis ſucceſſoribus, Epiſcopis univerſis, id de gratia ſpeciali et de plenitudine noſtrae Regiae poteſtatis, ex certa noſtra ſcientia duximus annuendum et concedendum, ut ubicunque in terris et montibus aut quibuscunque locis dictae Eccleſiae Quinque-Eccleſienſis, minerae auri et argenti, ac aliorum qualiumcunque metallorum, quocunque tempore reperiri et inveniri poterunt; eas ipſe D. Ioannes Epiſcopus, et directi ſucceſſores ſui, aperiri, coli, et laborari facere, proventus quoque earundem univerſos et urburas, pro eorundem et dictae ipſorum Eccleſiae utilitate percipere. cet. *Datum Budae* 1464. Atque ita dives ſatis haud dubie factus eſt Ianus, cum et antea ex commodis hujus Sacerdotii Quinque-eccleſienſis, viginti fere millia numûm aureorum (id eſt, centena millia florinorum noſtratium) annua perciperet; cujus rei teſtem excitamus Tuberonem Lib. 4. cap. 9. Poterat igitur Ianus et quidem libenti animo, pro tam opulento Sacerdotio obtinendo, Annatarum (ut appellabant)

nomine, aerario Papae mille ſexcentos quinquaginta aureos numos expendere!

Caput. VII.

Legatio Iani ad Pontificem Romanum alios-que principes Italiae, et reliqua vi-tae ad ejus obitum vsque.

His itaque temporibus vel maxime florebat Ianus, praeſertim cum et Anno 1465. mortuo Dionyſio Szétſi, avunculus ejus Ioannes Vitezius, qui adhuc Episcopus erat Varadinus, a rege in primam totius Hungariae et Metropolitanam ſedem id eſt, Archiepiscopen Strigonienſem veheretur; qua de re laetabundus ſcripſit epigramma iſtud: Lib. I. num. LI.

Pangite laurigerae, laetum Paeana, ſorores,
Feſtius et ſolito, Calliopea ſonet.
Metropolitanae ſupremum ſedis honorem,
Dat Princeps domino, dat pia Roma, meo.

Haec

Haec vox per populos immenſi tranſeat orbis,

Vox haec a terris ſidera ſumma petat.

Cedat Strigonio Varadinum, Chryſius Hiſtro,

Sit patrum primus, qui modo quartus erat.

Sic factum eſt ut jam cum avunculo Archiepiscopo in menſa regia diſcumberet; cujus rei teſtis eſt Galeottus in libro de dictis et factis, cet. cap. 30. Sed multo magis eodem anno 1465. illuſtratus eſt, cum in conventu omnium Procerum Szegedini habito, princeps legationis et orator Romam mittendae deſignatus eſt ad Paulum II. pontificem, qui Pio II. anno ſuperiori in expeditione paranda apud Anconam mortuo (quo de pulcherrimum epigramma noſter reliquit Lib. I. num. CCCXXV) ſuccesſerat; una cum Ioanne Rozgonio. Cujus honoris ſaepius rex in epiſtolis mentionem facit; ut Part. I. epiſt. 5. ubi hos ſuos oratores vocat *primaria capita regni et conſilii ſui*. Et epiſtola 14. item ep. 35. quae *Credentionalis* vocatur, ubi ait, *miſisſe eos cum ad ea praeſtanda quae novis Pontificibus Chriſtiani principes exhibere debent et ſolent, tum etiam pro his, quae ad negotium fidei pertinent. Id igitur muneris ſe injunxis-*

 ſe,

ſe, viris inter capita conſilii ſui primariis Ioanni Episcopo Quinque Eccleſiarum, et alteri Ioanni de Rozgony, quos magnitudini rerum tractandarum idoneos exiſtimasſet. cet. Pariter ep. 37. eosdem *Conſiliarios ſuos et magnitudini rerum ipſis commisſarum facile idoneos* appellat. Item ep. 38. *viros inter capita conſilii ſui primarios.* Eadem etiam repetuntur ep. 39. ad collegium Cardinalium data. Hi ergo legati Italiam ingresſi, magnifice excepti ubique ſunt, in locis quibuſlibet ditioni Venetae ſubjectis. Pro quibus officiis rex gratias agit Duci Venetorum epiſt. 15. Romam ubi pervenisſent, et ſenatus eis fuisſet a Papa datus, duas orationes eodem die apud eum habuit Ianus elegantes, quae extant Part. I. epiſt. 48 et 49. in quibus legationis cauſas facunde recenſet. Tunc Paulus II. Matthiae regi centena auri millia ſuppeditasſe dicitur. Neque tantum Romae, ſed et in aliis Italiae urbibus hi legati ad principes adierunt. Divertit etiam tunc Ianus Ferrariam ad Ducem Mutinenſem Borſium, ibique ad veterem amicum et condiſcipulum olim ſuum Baptiſtam Guarinum, qui patri in Gymnaſio literario ſuccesſerat, inviſit, eique equum candidum dono obtulit, qua

qua de re ita Guarinus in Carmine I. ſupra allato v. 49. ſqq.

Is mihi bellorum damno fuit uſus in iſto,
Quod vultus noſtra conſpicor urbe tuos.
Namque ita gaudentes hilari te vidimus ore,
Vt ſolet aethereo plaudere Creta Iovi.
Ergo minus dono, quam doni auctore movemur,
Dantis honos pretium munere majus habet.
Cornipide in niveo cum me obvia turba videbit,
Dicat delicias pectoris esſe tui.
Verum opis haud noſtrae eſt, dignas, pater optime, grates,
Solvere, nec meritis, praemia juſta, tuis.
Mens tibi mercedem virtutis conſcia reddat,
Et quae reſpiciunt, Numina ſancta, pios.
Illa tibi ad patrios ſalvum remeare penates,
Hoſteque de tumido gaudia longa ferant!

Hac legatione feliciter et ſumma cum gloria confecta, ipſo illo anno 1465. rediit, et in ſumma re publica ſemper deinde verſatus fuit, usque ad annum 1471. Sed quid potisſimum quinquennio ſequenti rerum egerit, incompertum no-

bis eſt. Nam dein Matthias cum Transſilvanis, Moldavis, et praecipue Bohemis negotium habuit; quibus in bellis non videtur Ianus interfuisſe; nusquam ſaltim, quod quidem ego ſciam, memoratur; fortasſe ob morbos fere continuos et valetudinem adverſam. Non enim modo febribus et aliis morborum generibus, verum etiam, etſi admodum juvenis, podagra laborabat, ut teſtatur Elegia illa ad Apollinem, cum e pede laboraret, Lib. II. Eleg. I. Certe A. 1466. ſcripſit Lib. I. Elegias flebiles X, XI, XII. querelarum plenisſimas. Venit tandem annus ille 1471. quo Proceres Hungari plerique omnes, a rege Matthia defecere; in quo conſpiratorum numero non modo fuisſe Ianus, ſed et avunculum ad rebellandum impulisſe fertur, ut apud Bonſinium videre eſt. Quo tandem pacto perierit A. 1472. apud Bonſinium et Pierium Valerianum, qui in omnium manibus ſunt, legas. Nobis enim non jam eſt otium, ea prolixius perſequi, quae ad miſerabilem tanti viri exitum pertinent. Vnum hoc addimus, rectam esſe chronologiam Bonſinii de anno emortuali Iani Pannonii, ejus obitum referentis ad A. 1472. quod confirmatur e MSto Epiſtolarum Matthiae regis Co-

los-

losvariae editarum; ubi MSti illius posſesſor, in praefatione editoris, haec adnotavit: *Anno Domini* 1470. *circa feſtum B. Stephani Regis ad Transſilvaniam misſus fui. Anno* 1472. *exivi de Transſilvania circa feſtum conceptionis M. Virginis. Anno Domini* 1473. *Domino Ioanni Erneſt donatus eſt Episcopatus Quinque Eccleſienſis.* cet. Vnde apparet Ianum Pannonium Episcopum Quinque Eccleſiarum defunctum fuisſe A. 1472. Cum autem avunculus ejus V. Idus Aug. h. e. nona die menſis Auguſti decesſisſe dicatur apud Bonfinium Dec. 4. Lib. 3. et poſt ejus mortem paucis menſibus ſupervixisſe et eodem anno interiisſe Ianus; vixit ergo annos ſolidos XXXVIII. et menſes aliquot; natus quippe A. 1434. 29. Auguſti, denatus autem Anno 1472. menſe Novembri aut Decembri.

CAPUT. VIII.

Iani Pannonii opera deperdita.

Scripſit Ianus plurima, quorum quidem optima quaeque vel interciderunt, vel potius ab odio et invidia, ne lucem asſpiciant, alicubi premuntur, ut ait Sambucus in Praefatione. Et ſane Hilarius Cantiuncula duabus praefationibus metro conſcriptis nihil aliud agit, niſi queritur de pravis hominibus, quorum livore omnia hujus poëtae carmina in tenebris condita ſerventur. Quemadmodum et ſuperior illo Sebaſtianus Magius noſtras, in epiſtola editioni ſuae Anni 1513. hoc modo loquitur: *Non me praeterit, his longe plura Ianum noſtrum compoſuisſe, quae, pró pudor! adhuc ab invidis ſupprimuntur.* Nec aliter Adrianus Volphardus, praefatione ad Elegias Iani Bononiae A. 1522. emisſas: *Nec ſum, inquit, animi dubius, plures a Ioanne Pannonio Elegias ſcriptas esſe, quae tamen aut perierunt, aut invidorum indignis loculis continentur.* Heu miſerum vatem! qui ne-

neque vivus neque mortuus, neque ſuorum Hungarorum, neque gentium exterarum invidiam effugere potuit! Ipſe Ianus Lib. I. Eleg. IX. Ao. 1464. ſcripta v. 83. ſqq. ita Deos precatur:

Me ſervate, precor, Phoebi pia ſacra colentem,
Dum ſaltem in lucem carmina noſtra volant.
Plurima ſunt nobis, ſummam poſcentia limam,
Sunt quae dimidia parte parata manent.

Quare hic jam ego lacrymasne fundam et acerbisſimis fletibus deplorem, cultisſima hujus vatis opera deperdita; an Livori diras imprecer, per quem amiſimus Annales Regum Hungariae ab eo confectos, Viennae aliquando, ſi fides Sambuco, conſpectos et lectos, ſed dein vel combuſtos vel in Danubium projectos, vel excrementis humanis abſumtos? Sed deſino querelarum, cum optimos quosque ſemper ſcriptores, Ovidium et alios, idem fatum, eadem ſors manſerit; ut plurima praeſtantisſimaque eorum ab edacitate temporum, et malitia hominum, pars, conſumeretur. Praeter Annales perierunt duo illa carmina Tomyrin et Trottam laudantia, quorum meminit Tit. Vesp. Strozza in Eroticis Lib. II. Eleg. V. v. 15. ſq, in hanc ſententiam: Vt

Vt lecta eſt Tomyris, nec non conſtantia Trottae,

Quas immortales, dive poëta, facis.

Deinde periit Carmen conſolatorium, quod ſcripſerat in obitum Valerii Marcelli, filioli Iacobi Antonii Marcelli, de quo extat Epigramma quoque noſtri Iani, Lib. I. num. CXXXVII. Erat autem natus Valerius A. 1453. ad VIII. Kal. Majas, matre Luca, ex Leonum Patavinorum familia muliere, Marcelli uxore; mortuus vero idem Valerius fuit octavo aetatis anno non completo, prid. Kal. Ian. A. 1460. ut haec omnia manifeſta ſunt ex Franciſci Philelfi oratione conſolatoria ad Iac. Ant. Marcellum de obitu Valerii filii, ſcripta A. 1461. in qua pleraeque omnes Marcelli res geſtae a Iano in panegyrico decantatae, facunde et eleganter narrantur; cui adde orationem ejusdem Philelfi in funere Franciſci Sforciae Ducis Mediolanenſis, itemque aliam, in exequiis Blancae Mariae, uxoris ejus, habitam. Amisſae porro ſunt Elegiae omnes, quas ex Italico Marcelli Latine vertit Ianus; vidimus enim antea, nihil minus probabile videri eorum opinatione, qui has ſibi Elegias in amatoriis Iani epigrammatibus invenisſe viſi ſunt. Huc referenda Funebria et Epitha-

thalamia illa de quibus B. Guarinus Carm. I. v. 29. ſq.

Nam ſeu clarorum, ſcribis connubia, regum,

Funera ſeu ploras, ſeu fera bella canis.

Nam quae poſtea memorat ibidem, v. 31. ſqq. ſuperſunt:

Seu praeceptorem laudat tua Muſa Guarinum,

Seu de maternis, increpat aſtra, rogis,

Seu queritur morbos, celebrat ſeu Numina fontis,

Seu canit in medio, ſidera viſa, die;

Deſiderantur pariter Bruti et Galbae vitae e Plutarcho verſae; item Grammatica Vngarica, quae a Iano conſcripta fuiſſe memoratur a Io. Decio Barovio in epiſtola ad Io. Telegdium A. 1597. quem locum poſtea in Iudiciis et teſtimoniis producemus. Male autem a Sambuco inter opera ejus recenſentur, epiſtola ad Fontium, de qua praediximus; item inter Epigrammata carmen illud, cujus epigraphe eſt: *In Epiphaniam*, Lib. II. num. XXIV. quod plane Iani doctrinam non ſapit, neque in MSto reperitur. His accenſendum puto epigramma, Lib. I. num. CXCIII. *de Archipoëta* (ſi Camillus Quernus ille ſit) etſi in MSto inveniatur. Neque enim temporum ratio permittere videtur, ut illud

lud ab Iano profectum eſſe putemus. Sunt et alia haud dubie, quae jam nunc praeterimus. Ceterae operum reliquiae ab eo ſunt, ſed ſexcentis locis ita foede caſtratae aut depravatae, nulla ut Salus unquam ſperari poſſit, quae medicinam afferat; licet MSti Vindobonenſis beneficio ſublata ſint mendorum aliquot millia, non modo typographicorum ſed et manifeſtarum corruptionum. Ceterum praeter ea quae in editionibus vulgatis et MSto occurrunt, ad Iani opera pertinent tres orationes inter epiſtolas Matthiae regis editae, quarum duae in Part. I. p. 129. ſqq. leguntur, quas habuit legatus ad Paulum II. Romae A. 1465. Tertia oratio extat Part. II. in eisdem epiſtolis p. 13. ſq. habita Budae A. 1465. ad legatum Papae. In eadem Part. II. reperiuntur epiſtolae Iani noſtri, 21, 22, 33, 34, 35, 36, 40, 41, 45, 46, 68, 84, 93. In Parte autem III. epiſtolae 15, 49. Hae tamen cum epiſtolae tum orationes ſtilo ac Latinitate ſunt aulica conſcriptae. Sunt praeter has tres epiſtolae a Sambuco Veronae repertae, ut ille ait, et editae; ſed omne illud in Iani opuſculis, quicquid ſola Sambuci auctoritate nititur, neſcio quo modo, ſuſpectum nobis, nec extra

om-

omnem dubitationis aleam poſitum esſe videtur. Atque haec fere ſunt, quae ad Iani Pannonii opera pertinere novimus.

Caput. IX.

Maecenates, amici et benevoli Iani Pannonii.

Habuit in Italia plurimos ſibi faventes et benevolos, in quibus Iacobum Antonium Marcellum Venetum, quem jure meritoque ejus panegyrico aeternavit; Ioannem Antonium, Episcopum Mutinenſem, quo de ſuperius. Nicolaum Perottum, Archiepiscopum Sipontinum; Franciscum Aretinum, Ferrariae Iuris profesſorem; Titum Vespaſianum Strozzam; Georgium et Antonium Scientas; Andream Mantegnam pictorem; Franciscum Fanenſem; Antonium Mariam; Aeneam Silvium, qui poſtea Papa Pius II. Tribrachum poëtam; Galeottum Martium; Guarinum G. F; Ludovicum Cyprium; Marcum Aurelium; Porcelium poëtam; Georgium Polycarpum; et plures alios, plerosque condiſcipu-

les

los ſub Guarino. Nec dubito quin carus fuerit Guarini diſcipulis, Francisco Barbaro, Leonardo Iuſtiniano, Georgio Trapezuntio, Hieronymo Caſtello, Bartholomaeo Facio, Ioanni Lamolae, et compluribus aliis, quos dum in Italia undecim annos agebat, vel fama ſui nominis, vel familiaritate devinxit. At poſtquam in patriam revenit, et honoribus atque divitiis auctus eſt, inimicos et invidos plerosque cives ſuos experiebatur; quod vel inde perſpicuum eſt, quod cum A. 1464. in caſtris aegrotaret, et epitaphium ſibi ſcriberet; in eo hos verſiculos poſuerit:

Hunc ſaltem titulum, Livor, permitte ſepulto,

Invidiae non eſt in monumenta locus.

Eminentem quippe virtutem, et honores dignitatemque excellentem, in novo praeſertim homine, non minus invidia comitari, quam corpus umbra ſolet. Erat quidem Ianus nobili genere natus, ſed quae nobilitas ejus, collata cum ſtemmatibus et imaginibus principum in Hungaria virorum, fere nulla ducebatur. Deinde erat Sclavenis majoribus ortus. Erat paene puer ſplendidum ac divitem Episcopi honorem adeptus; ſexcentis, ut credere par eſt, competitoribus ſuperatis.

ratis. Erat ingenii dotibus tantis praeditus, omnibus doctrinis libero homine dignis adeo cultus et eruditus, ut non modo ſuis civibus, verum et exteris gentibus miraculo esſet. Hoc itaque fortunae et ingenii faſtigium aequo animo ferre poterat nemo. Hinc illa invidia, hinc livor; qui apud regem perpetuo calumniabatur vel innocentem. Audiamus verba Tuberonis, cordatisſimi ſcriptoris, et eorundem fere temporum, Lib. 3. cap. 6. *Quidam affirmabant, Ianum quoque Pannonium, genere itidem Sclavenum, poëtam aetatis ſuae clarisſimum, Quinqueeccleſienſium Antiſtitem, dum Polonis rebus ſtudet, haud integra fide in Regem Matthiam extitisſe. Quanquam ille et dum vixit, asſeverare non dubitavit, ſe, nulla ſua culpa, verum Hungarorum invidia in iram Regis Matthiae incidisſe; et moriens verſiculis ab ſe compoſitis, regisque permisſu ſepulcro inſcriptis, idem teſtatus eſt. Quos ſane hunc in modum editos legimus:* Hic ſitus eſt Ianus, etc. (Lib. I. Eleg. IX. v. 117. ſqq.) *Hic autem Ianus, vir et litteris et ingenio memorabilis, nobili genere natus fuit.* cet. In eandem quoque ſententiam ſcribit Pierius Valerianus, in libello, De infelicitate Literatorum

Lib. I. p. m. 22. ſqq. Ex his videmus jam ante conjurationem et defectionem Hungarorum a Matthia, et evocatum regem Polonum, Ianum Pannonium in iram regiam incurriſſe, Hungarorum procerum invidia. Errat autem Tubero, cum ait, hoc epitaphium ab Iano moriente compoſitum fuiſſe; cum poſt octo demum annos mortem obiverit. Ceterum, ſcio equidem Baptiſtam Guarinum Carmine I. v. 41. ſq. ſcripſiſſe, gratioſum fuiſſe Ianum apud plebem non minus, ac proceres:

Hinc te Pannoniae plebes miratur, amatque,
Nobilium hinc procerum turba verenda colit.

Sed haec magis poëtice quam vere dicta eſſe conſtat.

DE-

DEDICATIONES ET PRAEFATIONES.

Ante editionem Viennenſem A. M. D. XII.

PAVLVS CROSNENSIS RVTHENVS, Inclyto et Magnifico Domino Gabrieli Perenaeo, Cubiculariorum Regalium Magiſtro, et Comiti Vgochenſi ac Maramaruſienſi, Domino et patrono ſuo gratioſisſimo S. D. P.

Quom tuam incredibilem in me humanitatem vel potius pietatem ac munificentiam, Domine Magnifice et Patrone mihi perpetuo obſervande, conſidero; qua re tuis in me meritis gratas aliquando referam gratias, certe neſcio. Tantum enim me tibi debere fateor, quantum nunquam perſolvere potero. Nullae namque mihi ſunt posſesſiones, nulli divitiarum cumuli, nullaque opum ac pretioſarum rerum gazophylacia; nec tua magnificentia re ulla indiget, ſola bene faciendi contenta laetaque conſcientia; quod templa tuis ſumtibus erecta, coenobia tuis impenſis extructa, muneraque in religioſos asſidue collata, liquido teſtantur. Ut me-

rito dicendus ſis perfugium calamitoſorum, ſubſidium inopum, bonorum ſuſtentaculum, ſplendor Pannoniae, omniumque virtutum ſanctisſimum exemplar. Quid enim referam tuam in omni re modeſtiam, continentiam, normamque vivendi exactisſimam? Quid manſvetudinem, facilitatem et clementiam? qui nemini, neque diviti neque pauperi acceſſum ad te prohibes, aut aures benignas claudis. Quid in rebus humanis ſolertiam et prudentiam? qui arces munitisſimas et prope inexpugnabiles conſtruxeris. Sed in primis in vitifero colle Zeules, quae ſubtiliter et magnificentisſime extructa, praetereuntibus viatoribus magnum praebet forinſecus oblectamentum, tum ob moenium aedificiorumque altitudinem, tum pinnarum turricularumque elegantiam, ut quivis non humanis manibus ſed divinis artibus illam perfectam exiſtimet. Quid memorem pulcerrimum Divae et intemeratae Virginis, cum coenobio amplisſimo, templum, quod Deo Optimo Maximoque, et ſuae beatisſimae Genitrici in pignus tuae ſalutis, et perpetuum tuae famae monumentum condidiſti conſecraſtique. Sed ut (quoniam epiſtolium, quod Laconismum amat, non hiſtoriam ſive orationem lon-

gius·

Digitized by Google

giuſculam, ſcribere propoſui, et aliubi, ut ſpero, commodius uberiusque laudes tuae decantabuntur.) gratiae referendae nulla in re, quoad poſſim, deficiam; venit, diebus paullo ante transactis, in manus meas, opusculum Ioannis Pannonii Quinque Eccleſiarum olim Antiſtitis; quem omnibus veluti polyhiſtora ſeculi noſtri, prudentisſimis, integerrimis, ſcientisſimisque facile praeponendum contenderim; qui inter praeclara ingenii ſui monimenta, quae in chartophylacio ſitu et pulvere obducta veluti carcere quodam tenebroſo clauduntur coërcenturque, Panegyricum quendam de laudibus Baptiſtae Guarini Veronenſis, praeceptoris ſui condidit, quo ſummam demonſtrat amoris ſui erga praeceptorem copiam, benevolentiaeque magnitudinem; quantum denique ſinuoſo pectore penitisſimisque animi partibus illum fixerit, ac clauſerit, carmine terſo, eleganti, luculento, perfecto, et Camœnali ſvaviloquentia compoſito enarrat. Quem non modo Latinae Grajaeque lingvae cultorem nuncupat, ſed incultae barbaraeque corruptelae indefesſum exterminatorem ac Latii eloquii induſtrium recuperatorem. Quod quom incuria inſcitiaque tranſcribentium, blaeſum,

 bar-

barbarum, mancum, mutilum, ac longo ſitu lacerum ſordidulumque, et a nativa penitus venuſtate deformatum, (ut plerisque in locis conjectore Oedipo foret opus,) offendisſem, multijugo tandem ſtudioſorum ſvaſu ac impulſu, tuis denique innumerabilibus in me meritis poſcentibus, in priſtinum nitorem, genuinumque candorem reſtaurare curavi. Quod eo feci libentius, quom rem patriae tuae nobilisſimae non minus utilem quam jucundam me facturum perſpicerem; exteris quoque et remotisſimis declararem gentibus, ad Pannonios etiam ipſos, humaniores et ſvaviores migrasſe Muſas. Quo munere te praecipue dignum esſe exiſtimavi, qui crebro hujusce viri quem noras tibi familiarisſimum, ingenium, vigilantiam, doctrinam, ſapientiam, mihi commendaveris; qui litteras quam ſtudioſisſime foves litteratosque et litterarum cultores magno et honore et praemio proſequeris, amplecterisque. Quapropter Ioannem Pannonium, tibi Pannonio merito dedico, nuncupatumque conſecro. Quem ſi ſubciſivis evolveris temporibus, non parum voluptatis et fructus tibi allaturum ſpero. O utinam reliqua tanti vatis opera, tuo ſtudio, tuaque diligentia in lucem veluti e tetro carcere conſur-

ſurgerent, et in communem ſtudioſorum utilitatem emergerent, optime profecto litteris litteratisque ipſis conſuleres. Suscipe igitur, Domine Magnifice, hocce clientuli tui munusculum, fronte hilari et ſerena, tanquam pignus et monumentum ſingularis meae erga te obſervantiae; munuſculum licet breviculum, minutulum et puſillum; attamen jucundum, nobile et pretioſum; quem paullo poſt grandiore ac locupletiore dono donare curabo. Vale fauſtiter cum conjuge tua Magnifica, forma eleganti, probitate inſigni, nobilitate generoſa, et non tam pecunia quam pudicitia bene dotata. Meque clientulum tuum, ſi non amare, ſaltem diligere non dedigneris, qui te veneror, colo et obſervo. Data Cracoviae, menſe Iunio M. D. XII.

Libellus e chartophylacio promtus et priſtino nitori reſtitutus loquitur:

Antra qui tetri colui tyranni,
Nuper et caeco fueram recluſus
Carcere, ac duris pedicis ligatus
Terga latusque,
Quem per infernas laceravit oras,

Ianitor nigri truculentus Orci,
Quemque concidit Stygiis cruenta
Turba flagellis,
Ecce! nunc rurſus nitidas ad auras
Laetus emergo, niveaque clarus
Veſte et integra facie et ſerena
Fronte decorus.
Hunc mihi Paullus tribuit nitorem,
Hanc mihi vitam reparavit idem,
Quem vocat dulci docilis caterva
Voce Ruthenum.
Cui, rogo, dignas modulare grates,
Qui lyram pulſas Clarii ſonoram,
Cuique felices Pylii precare
Neſtoris annos.

Adriani Wolfhardi Tranſylvani Protrepticon ad libellum:

Exi, quid dubitas, recens libelle,
Auro nobiliorque gratiorque,
Et quas concha parit marina, gemmis,
Et quos litora dant ſali, lapillis,

Nu-

Nuper qui fueras lacer relictus,
Fractis cruribus et manu retorta.
Dum patronus avet tuus ſereno
Vultu, abſolvere circulum ſalubrem
Paediasve negotium faceſſit.
Quid? ſodes mihi dicito, redis cur?
Foenum cornibus an times gerentes?
Ridentes ſciolos? ſalariorum
Num ſcombros olidos, vel aſteriſcos?
Num Momi tetricam ſubire frontem,
Naſum rhinocerotis, an ſiniſtros
Ronchos? quid metuis minus probati
Sannas oris et hancce apertionem?
Quum caedant pluteum tuae ſorores,
Natae ſintque Cleanthis ad lucernas
Guarino duce, quem tulit Catulli
Vatis patria, maximique PlinI,
Nec cenſor rigidus notare ſtellis,
Quem riſiſſe parum ferunt, comeſta
Cui ficusve tulit ſuprema fata,

 Poſ-

Poſſit, Pegaſidum melos ſvave.
Quare Pannonios lares require,
Qui te mille per osculationes
Vlnis accipient, et obviisque.
Porrecta Hesperiam reviſe fronte.
O dulcem nimium poëtae alumnam
Noſtri, Parrhaſio ſub axe Crocam!
Hinc et Phaſidos ultimum receſſum
Et qua, laetus adi, viget Minerva.
Sed ſis Callipides cave libelle,
Et teſtudineo gradu moreris,
Ergo Pegaſeis volato pennis.

Adrianus Wolfhardus Tranſylvanus ſub auctoris perſona ad lectorem:

Vivebam dum fata dabant ſine crimine quondam,
Qua fluit Iſter aqua, natus in Hungaria.
Meque laborantem patriae ſcabredine lingvae,
Suſcepit placido, terra Latina, ſinu.
Hic quid Graia docet per mille volumina Muſa,
Guarino didici, quidque Latina tonat.

Ire

Ire ſed ut cesſim, coepique inducere Muſas

In patriam Aonio vertice dulciſonas;

Arriſit Fortuna parum Rhamnuſia, namque

Exulo, conſcendit ſpiritus inde polum.

Lector amice boni quare rogo conſule ſi quid

Diſplicet, extemplo te quoque fata ferent.

(Ad calcem editionis hujus adjicitur:)

Adriani Wolfhardi Tranſylvani Hexaſtichon in Zoilum et Ardelionem.

Dente Theonino laceres ne carmina vatis

Livor edax, Scazon quo minus arma ferat.

Si ſecus, aſtra poli quot habent et litora fluctus,

Curva maris, piſces quotque Propontis habet,

Tot tibi quaeque dies poenas et quaelibet hujus

Hora ferat vitae, Plutoque poſt obitum.

Ante

Ante editionem Bononienſem A. M. D. XIII.

Auguſtisſimo Praeſuli, Domino, Domino Georgio Episcopo Quinque Eccleſienſi, ſummoque Cancellario R. H. Sebaſtianus Magius Pannonius felicitatem!

C. Plinius ille nobilisſimus hiſtoriae mundanae conditor, Togatorum omnium poſt M. Ciceronem facile princeps, Deus eſt, inquit, mortali juvare mortalem, et haec ad aeternam gloriam via. Cujus ſententiam, verborumque pondus cum nuper mecum paulo curioſius examinarem, ſubibat recordatio tuae illius immenſae ac nullo tempore ex animo noſtro labentis beneficentiae. Quam mehercle tantam in me expertus ſum et cotidie magis experior, quantam etiam petere voto immodicum esſet. Itaque dies noctesque volvebam animo, quidnam potisſimum foret, quo te, Maecenas Amplisſime, demereri posſem; nihil tamen prorſus occurrebat. Sciebam enim me nunquam immortali numini tuo par pari redditurum. Tua ſiquidem fortuna remunerandi vicem

non

non admittit, neque noſtra ſuggerit reſtituendi facultatem. Vtcunque ſit, malui tamen plumis aliunde congeſtis tanquam Graculus Aeſopeus in publicum prodire, et meipſum ſcenae, quod ajunt, ac populo irridendum praeſtare; et hoc pacto animi mei gratitudinem dignationi tuae patefacere, quam ingratitudinis crimine notari, quo nihil gravius apud Perſas olim fuisſe legimus. Etenim Ianum Pannonium, optimum, maximum noſtrae tempeſtatis poëtam, tibi hac praecurſoria epiſtola nuncupatim dicamus; Ianum, inquam, quem vel antiquitas doctrinarum omnium parens et alumna procul dubio ſuſpexisſet. Dii immortales! quanta in illo venuſtas! quantus dulci quadam cum verborum ſententiarumque gravitate lepor! quanta niveo candori mixta ſvavitas! Olim ego naturam non ut parentem, ſed novercam potius incesſere ſolebam; quod neminem Vergilio, Ovidio, Catullo, ceterisque priſcis poëtis parem, aut ſaltem ſecundum hactenus protulerit. Nunc autem reſipiſcens palinodiam recino, et naturam ipſam nedum non incesſo, immo vero et laudo et extollo, ut quae nobis in uno Iano, quicquid Vergilio, Ovidio, Catullo, ceterisque, eruditionis ac leporis ineſt, col-

lo-

locaverit. Et profecto ſi quis literarum verus indagator, cui auris non omnino ſit hiſpida, poëtam hunc penitus aſpexerit, intraveritque legendo; Dii Deaeque! quam multa in principio, in medio, in calce operum ejus offendet! Offendet, inquam, digna ſcitu, imitatione clara, nulli non jucundisſima. Si Heroïs geſta ducum ſeu quid aliud cantat, Vergilium prorſus effingit; dixisſem, exuperat, ni plus nimio conterraneum meum laudando, mihimet placere viderer. Si elegos ejus leges, ingenioſum vatem mellitumque Tibullum credas. Si epigrammata; non Catullum amplius deſiderabis. Hic, hic non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem cogitat. Ceterum haec alias de Iano; cujus laudes ſi quis vel ſummatim pertractare voluerit, erit perinde, ac ſi frondes ab Ida, et ſummam Libyco de mare carpat aquam. Proinde melius eſt tacere quam pauca dicere. Redeo nunc ad te Antiſtes Auguſtisſime, quem eruditi omnes uno ore, conſonoque ſuffragio Maecenatem, Pollionem, Proculeiumque ſaeculi noſtri celebrant. Nec immerito. Tu enim illorum es aſylum, praeſidium et decus. Quis vero eſt qui neſciat doctisſimum Quinqueeccleſienſem Epiſcopum doctos om-

omnes fovisſe ſemper et cotidie fovere? Teſtis erit in primis Balbus Venetus, utriusque lingvae, vel inimico judice, doctisſimus; qui te duce et auſpice altum jam pridem ſpirare cœpit. Praeterea Laurentius Biſtritius, celſitudinis tuae nepos et Albae Regiae praepoſitus, patronusque meus; qui fulturis tuis ad eloquentiae et eruditionis cacumen, Bononia teſte; asſpiravit; Stephanus etiam Brodaricius, laurea dignus Apollinari. His adnumerandus eſt Ianus ille, faber eruditionis multijugae faberrimus; qui multum in fronte pollicetur, plurimum vero habet in recesſu. Accedit huic Philippus Albaregalius, Varadienſis, Archidiaconus cathedralis; iuvenis optimae indolis et in literis nequaquam poenitendus; nec non Valentinus Cybeleius, Muſarum alumnus, et alii pene innumeri, quos ſi recenſere voluerim, facilius metiar quot coelum ſidera fervet; et quota in Oceani bellua mole natet. Verum ne ex epistolica verecundia in commentariorum audaciam transeamus, jam receptui canam, cum praeſertim ad materiae dignitatem et virtutum tuarum merita, parum ſit omne quod dicitur. Tu interea vive diu felix, et omni detectus pectora nube, finem Neſtoreae, precor, egre-

egrediare ſenectae. Vale Antiſtes eminentisſime, et me, qui tibi vel animam ipſam debeo, mancipiolum reſpice. Ex florentisſimo Gymnaſio Bononienſi. Idibus Ianuariis. M. D. XIII.

Ejusdem Seb. Magii epigramma.

Dulcia poma dabit formoſi villicus horti,
  Multaque purpureis, lilia mixta, roſis.
Agricolae mesſes, turgentes vinitor uvas,
  Praepingvi lectas, de grege, paſtor, oves.
Pictor Apellea deſcriptas arte tabellas,
  Daedalus e Pario marmore ſcalptor opus.
Arma ferus miles, gemmas, niveumque Elephantum
  Indus, opes avidas divitis arca Midae.
Nos tibi, praeſidium et decus orbis maxime, Iani
  Carmina Hyperborea candidiora nive.
Carmina quae docti cupiant imitarier omnes,
  Nemo queat; Genio carmina digna tuo.
Chryſea dent alii interea, nos chartea tantum,
  Quae tibi cum placeant, jam meliora damus.

La-

Ladiſlai Debrecini Pannonii in libellum Phalaecii hendecaſyllabi.

Debent Romulei tibi nepotes,
Auguſte, et Latiae ſimul Camœnae.
Qui diam Aeneïda enthei Maronis,
Spirantem tripodum ſacrum furorem,
Non es ſacrilegis perire flammis
Pasſus, nec violarier lucernas,
Quas non invida reparasſet aetas.
Qui minus Magio ſales leporque
Debent Auſoniae eruditionis?
Ipſi inquam Magio, binomen Iſter
Quem plus ſuſpicit, evehit colitque,
Quam vaga Aoniae Linum fluenta,
Aut ſuum Rhodope Orpheum nivalis.
Namque is, Pannoniae decus iubarque
Ioannem, a carie et ſitu redemit.
At tu, Pegaſidum fores frequentas
Quisquis, doctiloquum hunc ſinu libellum,
Et noctes, moneo, et dies foveto,

Victurum, ignipedes aget jugales
Dum Titan rapidum fugax per axem.

(Ad calcem editionis legitur:)

Sebaſtianus Magius Lectori ſalutem.

Illud nunc ego, (nec importune quidem) dicam, quod Graeculus quidam olim ad Auguſtum: Plus darem, ſi plus haberem. Non enim me praeterit, his longe plura Ianum noſtrum compoſuiſſe; quae, prô pudor! adhuc ab invidis ſupprimuntur. Ex hoc tamen, licet parvo libello, praeſtantiam eius metiri potes, Pythagorae exemplo, qui ex pedis menſura, Herculis magnitudinem ratiocinatus eſt. Sed quoniam intellego, te, novi aliquid hactenus expectare, quod pagellam ſupereſſe vides; ne ſpe tua fruſtrere, Achillis Philerotis poëtae clariſſimi et incomparabilis praeceptoris mei Epigrammata quaedam obiter addidi; quibus nil dulcius, nil candidius, nil emunctius eſſe vel Momus ipſe iudicabit. Lector pellege, laetaberis. Vale.

An

Ante editionem decem Elegiarum Vienneſem A. 1514.

Ioannis Camertis, Ordinis Minorum, ſacrae Theologiae profesſoris, ad egregium virum Dominum Stephanum, Maecenatem alterum, Hexaſtichon.

Virtus magna fuit verſus ſcripſisſe diſertos,
Turpe ſed hos longo delituisſe ſitu.
At tua cura diu non eſt id pasſa nefandum,
En relegunt vates carmina, Iane, tua.
Multum igitur Ianus, multum Pannonia tellus,
Debebit Stephano, docta Minerva ſimul.

Franciſci Zelei Wacienſis et Poſonienſis Eccleſiarum Canonici, carmina ad Lectorem.

Pegaſei quantum latices, quid vivida laurus
Vatibus attribuat plectra ſonora ſimul,
Praeſulis hic Iani modo Pannonis indicat orſus,
Terſe qui Latio carmina more dedit.
His patriam illuſtrat, generi et laus maxima cedit,

Et ſua perpetuo nomina clara manent.

Quippe tibi ille ſavum pulcherrima praemia, lector,

Spondet, et armigerae, ſe duce, caſtra Deae.

Egregio Domino Stephano de Werbeucz, patrono ſuo inclytiſſimo Benedictus de Beken, S. D.

(Etſi haec epistola ſtilo agreſti barbaroque prosſus ab idiota neſcio quo ſcripta, eoque luce publica indigna plnae ſit, nos tamen eam, ne quid omiſisſe videamur, pace lectoris candidi, bonaque cum ejus venia, hic addendam curavimus.)

Diutius mecum deliberans, quam ſit ingenio dignum, ſi quando nos noſtramque patriam, laudum inſigniori virtute accumulatiorem ſplendidioremque aſpicerem, verum ut fatear, cum Martiale bellum laudis deliberatae deſiderat praeconium, erit patria nulla praeter animoſos Auſonios, quorum facta ſtelligeri coeli petunt asſenſum, qua ſudanti virtute noſtratibus certet. Quid autem pulchrius fieri potuisſet, quam egregie geſta patrum, monimento litterario aere obduro perenniori, quispiam efficaciorem perſpectabilioremque reddidisſet? Penuria ſi quidem ingenio elucubratorum ex noſtra gente taciturnitatem deliteſcentem genuit; exterorum vero

vero vecors invidia, pulcherrime factorum noſtrorum non attendebat excellentiam. Sic ſub tam rigeſcenti ſilentio, multa per tempora, vitam ſine celebri memoria duximus; non quia deſuit nobis ingenii valor, non liberalitatis ſtreuua majeſtas, qua ſola via eſt ad undantis ſcientiae apicem, decentisque corporis decorata proceritas, quae omnia quam ſtudioſis conveniat et decens ſit, dubitat nemo; obfuit ſed quoniam ſangvinolenti belli continua exercitatio; illa enim majorum oblectabat animos. Devaſtantis omnia belli deſlendam miſeriam quantam fecerint, noverunt hi, qui veſana contumacia ſuperbiae ducti, quippiam adverſi eis moliti ſunt. Cum vero pacis clementior ubertas, gloriam tum patriae tum genti ſplendidiorem indidit; paulatim pallefcentis Minervae dulciloqua ſpecioſitas, noſtros fulcivit homines. Quam brevi in eo ſtudio, quo vita honeſtatur, gloria dilatatur, omnis denique floridae virtutis honos amplificatur, profecerimus, dat apertisſimum argumentum Ioannes Pannonius, poëta gracili facultate ſublimis, et citra Sulmonenſis vatis delicoſam lyram reſonabilis. Cujus nuperrime paucula carmina ad me miſiſti, quae quam Cecropide cothurnata ſint, erunt

teſtes qui perlegendi favorem noſtro indulſerint poëtae. Quae inquam carmina ob incuriae calamitatem cicatricibus duriuſculis ſcatebant; praeſtantisſimi attamen viri, praeceptorisque jucundisſimi, Ioannis Camertis, ſacerrimae Theologiae profesſoris inclytisſimi cura, usque adeo priſtinae excellentiae redacta ſunt, ut non ſecus reſonare videantur, quam ſi emunctae naris autor, mundisſimo ore, delicataque Camœna, circum ſerpentis rivuli marginem reboaret. Scripſeras ſi quidem, brevi in curriculo longe majuscula ex operibus ſuis mittere. Quod ut facias, petimus nos omnes, quibus amoenisſimi poëtae evigilatum opus cordi eſt. Ne vero, ut dicunt, in ſinu gaudeamus, efficias, vel ob tui ſanctisſimi moris et conſvetudinis indelebilem pietatem. Habes enim pro arbitrio maximam ubicunque ad ea acquirenda libertatem. Si enim armorum fragoſo ſtrepitu alias terremus nationes, obſtupeſcere faciamus, decens eſt, animi eminentia; qui quantum in utraque arte fulgeamus, virtutis eſt videre illos, qui praeſentis ſaeculi fruuntur amicabili dulcedine; et non minus illos, qui poſt noſtram peregrinationem ſubſequuntur. Iſta vero praeſentia, nominis tui titulo inſignire cu-

ra-

ravimus, Camertisque tui, ut mei curam velim ſuſcipias. Vale felix. Kal. Martiis 1514.

(*Poſt hanc editionem ſequuntur haec:*)

Ioannes Camers, Ordinis Minorum ſacrae theologiae profeſsor, Egregio Viro Domino Stephano Verbeutio S. P. D.

Relegi diligenter, Stephane humanisſime, decem Iani Pannonii Quinque eccleſiarum praeſulis Elegias, quae (abſit adulandi ſuſpicio,) ſplendore carminis, cum antiquitate non longo intervallo certare videntur. Condolui, Deum teſtor! poëtae facundisſimo, quod ejus digna poſteritate carmina, merita laude privarentur, ac neſcio quorum vitio tam inverſa, e turpi ſitu prodirent in lucem. Has ſiquidem Elegias jam jam nomine tuo excuſas typis optimis, ita depravatas mutilasque accepimus, ut in locis plurimis, vix earum ſenſus integer posſet percipi. Dedimus tamen, amore tui, operam, ut eo nitore, quo a vate Iano conſcriptae ſunt, ab his qui docta cupiunt, legerentur. Tuum deinceps erit, (quoniam impenſe doctis faves,) ut ſi qua Iani opera deliteſcunt, ob Pannonum gloriam, Iani meritum, et tuam tan-

 dem

dem in hisce rebus vigilantiam oſtentandam, conquirere, conquiſita huc transmittere; ut transmisſa ope noſtra caſtigentur, et ſuo denique nativo reſtituta candori, ſtudio demum tuo in manus exeant peritorum. Vale. Viennae Pannoniae. pridie Idus Martias 1514.

Benedicti Bekenii Diſtichon ad lectorem.

Quom totiens Ianum contendas improbe livor;
Nonne pudet talem dilacerare virum?
Porge manus igitur poſcenti, mente benigna,
Iano, ſi Iani carmina culta placent.

Ante editionem Baſileenſem Anni M. D. XVIII.

Io. Frobenius Ludi magiſtris S. D.

Quod fuit Germaniae noſtrae jam olim Rodolphus Agricola Friſius, nunc Erasmus, in omnigena diſciplinarum et lingvarum cognitione, in Cabbaliſticis myſteriis Reuchlinus; in Mathematicis olim Io. Regimontanus; hoc fuit Ianus

Pan-

Pannonius in poëtica. Quem vos, poſt Maroniani faeculi poëtas pueris praelegere, minime pigeat, ultra Pontanos, Marullos, Baptiſtas, iudicio doctorum ad veteres proxime accedentem. Bene Valete.

Beatus Rhenanus
inſigni viro Iacobo Sturmo Argent.
S. D.

Videmus hoc in rerum natura, candidisſime Sturme, quanto quidque eſt inſignius, tanto rarius ac parcius id reperiri. Non enim ubivis occurrunt uniones; topaziorum et hyacinthorum mira eſt paucitas. Vsque adeo quod eximie praeſtans exiſtit, velut invidente nobis natura, eximie quoque rarum conſpicitur. Tametſi in gemmis, non paulo plus curioſa mortalium ambitio, quam excellens vel bonitas vel utilitas ad indicaturam facit. At cum nil habeat hic orbis, quod cum ingenio ſano comparari mereatur, dici non poteſt, quam in hac item parte maligna ſit omnium rerum parens natura. Nam cuique ſaeculo vix unum largitur quod omnibus numeris, juxta proverbium, ſanum videri queat.

Hinc nimirum eſt, quod in tot millibus eorum, qui litera-rum ſtudiis dicati ſunt, tam pauci, imo vix unus atque al-ter eminent, ſive de poëtis loquamur, ſive de oratoribus. Nec eſt quod haec res vel ſtudio vel praeceptori imputetur. Siquidem Guarinus ille Veronenſis, Latinae lingvae reſtitu-tor non poenitendus, multos annos utramque lingvam, ora-toriam ac Poëticam olim in Italia docuit; et tamen e tam numeroſo diſcipulorum grege, qui undiquaque eo confluxe-rant, hunc tantum nactus eſt, cui Muſae feliciter aspirarint, et qui in carmine valuerit, Ianum inquam Pannonium. E-undem omnes praeceptorem habuerunt, ab omnibus labora-tum eſt. at hic unus, ὥς λύδιον ἅρμα τοὺς πεζοὺς, omnes prae-currit. I nunc, et ingenio nihil tribue, labori totum! Por-ro ut nonnihil naturae partes tueamur, ſatis haec ingeniorum cotidie profert. at neſcio quo pacto, quae vivaciora ſunt, cum Fortuna literatis tam maligne respondeat, ad quaeſtuo-ſas artes ſe conferunt, relictis melioribus ſtudiis ut ſterilibus. Stupidiora vero literis adhaerent, ſtudium ſegni otio prae-texentia. Quodſi veteres illos imitati, pueris, priusquam Muſarum ſacris initiarentur, Zopyrum aliquem adhiberemus, idq-

idoneos admittentem, craſſos repellentem, videres mi Iacobe, longe plures in literis excellere. Nunc citra cujusquam conſilium, rei tam ſacrae, tamque divinae, paſſim nos ingerimus. Sed ut ad Ianum noſtrum redeam, ſic hujus me lectio totum rapuit, ut ſi cujus veteris alias unquam. Habet enim carmen non anxie cuſum, ſed plane inelaboratum, et majore ingenio quam cura fluens. Praeterea reconditam eruditionem in Panegyrico oſtendit, tantum fabularum, tantum hiſtoriarum intertexendo. Denique nihil hujus epigrammatibus doctius, feſtivius, acutius. Sunt nonnulli, quibus parum placet quicquid noſtrum vel ſaeculum vel ſolum protulerit; a quibus ego longe diſſentio. quippe qui Ianum et Eraſmum, tametſi Germanos, et recentes, non contemtius ac Politianum et Hermolaum, imo quam Maronem Tulliumve lego; quod mihi perſvaſum habeam, hujus temporis dicendi modum, non minus noſtro ſaeculo, quantum ad eruditionem attinet, conferre, quam vel Tullii vel Quintiliani. quandoquidem una cum urbe Roma non dicam mutata, ſed extincta ſunt omnia, judiciorum ritus, agendi formulae, declamandi orandique conſvetudo, ut pene, quid

ipſum

ipſum dicere ſit, ignoretur. Habeo tibi magnam gratiam, qui Ianicorum epigrammatum exemplar, avunculi tui Petri Schotti viri incomparabilis manu ſcriptum, ad nos tam amice miſeris. Pro quibus Sylvam Panegyricam, qua Guarinum ſuum praedicat, cum quibusdam aliis epigrammatibus, quae tibi deesſe videbantur, velut ἀντίδωρον rependimus; hoc nimirum pacto noſtrum nomen e diario tuo dispungi cupientes. Bene vale, nobilium iſtius urbis literatisſime, et literatorum nobilisſime. Baſileae Idibus Iuliis An. M. D. XVIII.

Poſt editionem banc Baſileenſem:

Io. Frobenius Lectori ſalutem.

Multum operae nobis in hoc impenſum eſt, ut quam caſtigatisſime Pannonius in lucem prodiret, cum quia praeſtantisſimus, tum quia, tametſi paulo ſuperior aetate noſtra, nunc tamen velut novus emergit. Solet autem prima editio reliquarum mater esſe; ſic ut magni referat, qualisnam ſit. Itaque locum unum atque alterum annotare placuit, in quibus operarum praecipitantia non nihil aberratum eſt; qualia ſunt, pagina 24. verſu primo: Vrbs ſi quidem. Pag. 68. verſu primo: Quanto erat o melius. Pag. 72. verſu. 11.

ſed

ſed plus inſomnia torquet. Eſt enim illic inſomnia nominandi caſus ſingularis numeri; ſignificatque ſomni privationem; tametſi id mendum in multis exemplaribus ſublatum eſt, a caſtigatore ſerius deprehenſum. Pag. 80. verſu tertio: Quam Phoebus Patara. Sunt forſan et alia, ſed plane minutula, quanquam et iſta quae hic annotavimus, inſignia non ſint, ut propemodum ea tranſire nobis animus fuerit, niſi in diligentiae noſtrae commendationem hoc loco paululum perorare libuisſet. Optime vale. Apud inclytam Baſileam. poſtridie Divae Magdalenae. An. M. D. XVIII.

Achillis Philerotis Bochii Bonon. Tetraſtichon.

Paeonius dulci Ianus dum carmine nuper,
Saxa, feras, volucres, et nemora alta trahit;
Miratus Titan, ait, aut non occidit unquam
Orpheus, aut alium Calliope genuit.

Anti

Ante editionem Panegyrici Marcellini Bononienſem A. M. D. XXII. ab Adriano Wolphardo procuratam.

Georgii Thabiaſii Transſylvani Decaſtichon ad Lectorem.

Annales patriae Ianus dum condit amatae,
Flebilibusque ligat, carmina docta, modis,
Et conſperſa iocis epigrammata terſa facetis,
Ludit, ſcriptores vertit et Inachios,
Dum canit et laudes, ſimul horrida bella virorum
Clarorum; mors, haec tam bona multa, tulit.
Non mage dilectum, Thetis optima luxit, Achillem,
Moerentes fratrem nec Phaëthontiades,
Patria quam Ianum deflevit moeſta poëtam,
Vate tamen facta eſt patria clara ſuo.

Ampliſſimo Patri et Domino, D. Franciſco Vardenſi, Epiſcopo Transſylvano digniſſimo, Adrianus Volphardus Transſylvanus, Protonotarius, felicitatem!

Studioſiſſima rerum geſtarum vetuſtas memoriae prodidit, Antiſtes eminentiſſime, Piſiſtratum Athenienſem, rerum per tyran-

tyrannidem potitum, non parum laboris, operae, vigiliaeque in conquirendis Homeri, poëtarum omnium parentis, laceris, vulgoque jactatis nullo ordine verſibus, impendisſe, magnis praemiis propoſitis, iis qui aliquos ad ſe tulisſent, eosque nullo delectu habito, allatos confuſosque diſpoſuisſe ut nunc habentur. Quippe illis temporibus, hoc neque doctior, neque cujus eloquentia literis inſtructior reddita ſit, quisquam fuit; non utilis quidem civibus ſuis, literis tamen doctrinaque, quibus invidiam, quacum in tyrannide verſabatur, magna ex parte reſtinxit, longe caeterorum omnium praeſtantisſimus. Alienum enim esſe ab officio non ſolum bene conſtituti et ad veram gloriam immortalitatemque nati hominis, ſed etiam tyranni, cupiditate auri, perditisſimi, exiſtimabat, tam inſignem auctorem, omnis ſapientiae et eruditionis ducem, non pluvias aquas (ut ait Pindarus,) colligentem, ſed vivo gurgite exundantem, beatisſima verborum copia, ſententiarum frequentium gravitate luxuriantem, dono quodam providentiae genitum, mures opicos, tineasque paſcere, eque memoria hominum ſenſim incuria dilabi, tenebrisque (quod ajunt) Cimmeriis involvi. Cujus ſimi-

les

les utinam ſaecula anteacta multos tulisſent, non tam crebris ſuſpiriis, lamentis, et pene conviciis praeclarisſima ſummorum virorum monimenta deſiderarentur; quorum pauca, mutila tamen et conciſa, nonnullorum amantium vitam quam rectisſime componere, diligentia, in lucem in dies emittuntur, teſtantia, quo ſtudio veteres enixi ſint poſteris conſulere; vitae, morum, virtutisque exempla relinquere, ne priorum disſimiles esſemus, neve a praeſcripto ſolidae gloriae vel latum ungvem excederemus; quin potius utri ſuperiores, magisque de vita mortalium bene meriti fuisſent, poſteritatis, ſine amore, ſine cupiditate, rurſus ſine odio, et ſine invidia judicaturae (quod Menandro contigisſe legimus,) cenſuram expeteremus. Paucis tamen iſta contentio omnium pulcherrima curae eſt. Quotus enim quisque eſt, qui non in foeda impurorum hominum colluvione, et obſcuris voluptatum, blandisſimarum dominarum latibulis, quam ſacris Muſarum penetralibus, unde certisſima ſenectutis viatica petuntur, deſidere malit? Magna pars aut mimicas artes, non Sophronis illius a Platone valde laudati, ſed infructuoſas, aut quaeſtus illiberales ſectatur; plurimi ſacra auri

ri fame tranſverſi aguntur, penſi nullius ſtudia quaeque literarum facientes; parumque intereſſe ad bonam opinionem, falſo quidem errore rati, in Caeritumne tabulas pecunioſi referantur, an vitae integri ſceleriſque puri; rerum familiarium mediocritate, quae aurea ab Horatio vocatur, ſeſe ſolentur. Saepe non pauci, difficultatibus preſſi, incomparabiles doctrina viri, dum eluctari nituntur, fervorem ſtudiorum, unde gloriam et immortalitatem conſecuturi erant, remittunt; ita pedetentim retro in pejus ſtudia ruunt, peſſumque bonae artes eunt. Quid? quod videre eſt aliquos usque adeo a literis abhorrentes et pene Epicuro audientes, fugere moneati omnem diſciplinam navigatione quam velociſſime oportere; ut piaculum credant, quoties literatos audire contingat. Il vere a Muſis et Gratiis Graecorum proverbio abeſſe, et ſibi ipſis non alienis nati dicuntur. Quae ignavia et infelix literarum odium, ut de aliis compluribus ſcriptoribus taceam, quos non luctus nobis in Ioannis poëtae Pannonii noſtri, tot praeclaris ab eo ſcriptis, aut interceptis, aut ita decoloratis ut Oedipo conjectore vel vindice priſtini nitoris quopiam, poëtae ſimili opus ſit, reliquit? Qui, ut obiter quod

ad vitae ejus cognitionem pertinet, ſummo digito attingam, cum pene puer, Baptiſtae Guarino Veronenſi, viro ſua tempeſtate doctiſſimo, operam navaret; ſic reliquos, qui Baptiſtae vacabant, anteceſſit, ut longo omnes intervallo poſt ſe reliquerit; Cumque Graecis et Latinis literis apprime doctus, aequalibus ſuis facile praeſtaret, eo nominis e veſtigio pervenit, ut Guarinus ſibi diſcipulum a peritiſſimis id aetatis viris adaequari in maximis ſuis laudibus poſuerit, ſaepius Graecum iſtud uſurpans: πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων· Nec dubitarit Titus Veſpaſianus Stroza, poëta feſtivus, antiquis primae claſſis poëtis eundem comparare, (*Lib.* II. *Eleg.* IX. v. 15. *ſq.*) inquiens: *O nimium felix! o fortunate poëta! Ingenio priſcis aequiparande viris!* Hic poſt hominum memoriam, praeceptori, vel unus maxime omnium, filii pietatem praebuit; elimatiſſimoque Panegyrico, exactis aliquot annis, noſtra opera, primum typis ſtanneis, Viennae Pannoniae cuſo, ei fortunas, ſtudia, vitam denique fere ipſam acceptam retulit. Cui ſi malorum audacia fortunae beneficium non eripuiſſet, nec is magnitudine caſus moerore affectus, tam praecipitem mortem oppetiiſſet;

Pan-

Pannoniorum nomen, coeptis ab eo, elegantiſſimo carmine annalibus, immortalitati conſecraturus erat. Sed alias de his, ne modum excedat epiſtola, quicquid ſcire operaepretium fuerit, manſuris literis mandabimus. In praeſentia ſatis ſit Laconice libasſe, relictos ab eo Epigrammatum libros, Elegias, Orationes, Sylvas, et quosdam Plutarchi libellos e Graeco in Latinum tralatos, quos propediem ſtudioſae juventuti emendatiores edere curabimus. Interea hunc Panegyricum de Marcellis Venetis, quem convulſum, lacerum, membratim diſperſum, ſitu carieque obductum collegi, tibi, omnium bonorum patrono, de me vero optime merito, jure aequisſimo dicandum esſe ſtatui. Cui enim alteri hos quantuloſcunque labores, quos ſtudiis legum, quibus me toto pectore incumbere voluiſti, ſucciſivis horis ſubductos, nuncuparem? Tu nomen noſtrum in album tui ſacri collegii retuliſti; tu ſtudiorum auctor et certisſimum perfugium fuiſti. quantum autem expenſi tuleris, quando tantum tibi accepti referetur? Tua iſta eſt peculiaris munificentia, qua omnium in te ſtudia maxima vincis. Tua admiranda humanitas, qua mortales omnes, nullis praetermisſis officiis, demereris. Ac-

cedit etiam, quod lucubrationes Pannonii Epiſcopi undecunque doctisſimi, tibi Pannonio Epiſcopo meritisſimo, literarum amantisſimo, ſtudioſorumque Maecenati, ex antiquisſima nobilisſimaque Vardenſium familia oriundo, quae cum illo tuo patruo Stephano, Colocenſis et Bachienſis Eccleſiarum Archiepiſcopo, in Cardinalium numerum ſua virtute aſcito, noſtra vero memoria e vivis ſublato, tum pluribus aliis arte militari claris, teque in primis illuſtrata, merito voventur. Quod enim crucis nomine evocatorum bella pacata ſunt; quod gladii ab innocentium cervicibus depulſi; quod caedes nobilium averſae; quod pernicies omnium proborum paucis ante annis, te, et Ioanne illo Zapoliano, Vayvoda Transſylvano, rerum Transſylvanarum ſecundum Regem moderatore fortisſimo, domi militiaeque clarisſimo, veſtrique ſimillimis optimis viris, magnis libertatis adſertoribus, ſublata eſt, quas non aures fama inſerſit? quos non orbis angulos pernix circumluſtravit? Sed haec cumulatius in noſtris de Ruſtico bello libellis, carmine Heroico concinnatis, cognoſcet olim, Superis volentibus, poſteritas. Felices autem profecto ſunt terque quaterque, Marcelli, quibus praeconio

tanti

tanti vatis contigit celebrari; ut Alexander ille Magnus, cum in Sigeo ad Achillis tumulum aſtitisſet, O fortunate, inquit, adoleſcens, qui virtutis tuae Homerum praeconem inveneris, olim dixerat; Felices nepotes, et qui naſcentur ab illis, quibus majorum virtutes, ornamenta, et praeclara facinora, tuo ductu, tuo auſpicio, tua liberalitate; noſtra vigilia, fide, ſolertia, cognoſcere, a tenebris ac interitu vindicari datum eſt; quae in omne aevum, tanquam exemplar ſuſpicientes, proponant, neve vitam ulla labecula aſpergant, ſintque Iacobi Antonii Marcelli quam ſimillimi, patriae ornamento et praeſidio. Porro feliciſsima Pannonia tali alumno, tali laudum ſuarum buccinatore; Nec dubito fore, quin plurimi Pannonii (ferax enim haec optimorum ingeniorum aetas eſt,) hujus poëtae virtutibus et fama incitati, pulcherrima immortalitatis mercede anteposita, inflammati, ad easdem ſtudiorum metas anhelantes pervenire contendant; et quod longo tempore Pannoniorum nomen, pravis praeceptorum inſtitutionibus obſoleverat, optimis quibusque poſitis et perceptis, vigilia, labore pertinaci, ingenio, memoria et uſu, in horas eniteſcat. De me nihil temere polliceri ingenii medio-

 cri-

critas hortatur; id tamen recipio, ſi haec mea in Ioanne Pannonio reſtituendo et vulgando ſedulitas, tuum in me favorem promtum, quae me ſpes alit, firmaverit; alacer et ſpei bonae plenus, nullis inertiae deprecationibus, et Ἐγκωμιαστικὰ de tuis virtutibus praeclarisſimis, tenerioribus adoleſcentiae annis coepta, ad umbilicum perducere; et nomini cum patriae, tum poëtae, quantum ad literas attinet, in emittendis aliis ipſius operibus, quae reliqua neglecta, et ſupremam poſcentia manum jacent, nunquam pro virili parte deesſe, ullis laboribus deterrebor. Vale ornamentum literatorum. Bononiae Quarto Nonas Octob. M. D. XXII.

Hilarii Volphardi Transſylvani Decaſtichon ad Calliopen:

Quid planctus petit hic, pasſi et per colla capilli,
  Calliope, lacrymis uda quid ora rigas?
Num fato extinctus Ianus, tua maxima cura?
  Nixa ſtetit cuius veſtra ſalute ſalus.
Deſine crudeles toties inceſſere divos,
  Neu vacet et totos fletibus ire dies.
Sic viſum Superis, Iovis ut raperetur ad aulam,

Mul-

Mulceretque tuos, Iupiter, Indigetes.
Hunc non Livor edax, animis, nec longius aevum
Eximet, hunc releget doctaque poſteritas.

(*Poſt panegyricum ſequentia leguntur:*)

Adrianus Volphardus Transſylvanus, Apollini.

Dic mihi Caſtalidum, dux optime Phoebe, Sororum,
Eſt ubi, qua mulces numina, dia chelys?
Saepe ſono cuius rapidus ſtetit amnis, et altis
Montibus errantes obſtupuere ferae.
Dic, rogo, nec cauſam libeat celasſe, quid haeres?
Moeſtus et in nigram lumina figis humum?
Arbiter Aonidum ſedeo dum fontis ad oram
Et ſolor pulſo pectine Thespiades;
Fesſa labore manus, vox et me deſerit omnis,
Suspenſae impatiens, turba novena, lyrae.
Deligo Pannonium Muſis qui conciuat, illum
Qui decus Artois gentibus ore tulit.
Quem Pitho ornarat, fandi dulcisſima Diva,
Aedibus et Muſae nutrierant propriis.

Vix

Vix tractare fides, cantu vix ſolvere curas
Coeperat, et patriae praemia ferre ſuae,
Occidit ante diem, fatis immitibus, eheu!
Quam dulces cantus ſuſtulit hora brevis!
Huic Linus, et vates cedebat Thracius Orpheus,
Cantantem Pluto quem ſtupuit Stygius.
Caelitibus fuit hunc non parva audire canentem
Cura, et inaſvetis verba ligata modis.
Collibus exciti liquere cubilia Fauni,
Sylva nec intonſas iuvit Hamadryades.
Oblitusque ſui curſus quam noſter et Aethon,
Saepe retardato tranſiit axe polum!
Adde etiam niveo venientes corpore mores,
Compoſitos; quis hoc caſtior Hippolytus?
Religionis erat Numa, nec ſervantior aequi,
Cultus Ariſtides, Scipiadaeque duo.
Ingenium, ſpeciem, mores, ſimul omnia mentis
Tot bona, Parcarum perculit atra manus.
Hinc deſerta chelys, moerent Libethrides, undae
Pyrenes ſquallent, mutaque Calliope.

(*Ejus-*

(*Ejuſdem Adriani Volphardi:*)

Extulerat paulum Pluto caput impius orco,
  Hem! quid opus facto, prô quid, ait, video!
Num ſe proripuit noſtris e ſedibus Orpheus?
  Huc repetitum iterum venit et Eurydicen?
Agnoſco, ſimilis quam Orphei eſt ille poëta,
  Ianus, Pannoniae, gloria prima, ſuae.
Ianus in Arctoas Latio qui tranſtulit urbes
  Pegaſides primus, Mopſopiumque melos.
Quam Dryades gaudent circum, cultaeque Napaeae,
  Exiliunt, quantus manat ab ore lepos!
Per Stygios latices iurarem hunc Orphea, ſi non
  Aſpicerem hic noſtris Orphea luminibus.
Eriperemque Deis, proprium nobisque dicarem,
  Fratris at exterrent tela triſulca mei.

Paulus Iſtvánfius Pannonius, Adriano ſuo.

Qui modo mendoſus, carieque erat obſitus atra,
  Paeonii Ianus, gloria prima, ſoli,
Quique diu tineas (indignum!) pavit edaces,
  Comtior ecce tibi ſplendidiorque redit.

Geſtit et Heroas inviſere protinus urbis
Hadriacae, poſtes, magne Iacobe, tuos.
O quot, Marcelli ſigent huic oſcula! grates
O quantas referent, docte Adriane, tibi!
Nec te poeniteat pro tanto vate laboris
Exhauſti, famae et conſuluiſſe tuae,
Indiga nullius virtus, ſudore paratur,
Nominis hinc ſurgit gloria ſumma tui.

Hexaſtichon ejusdem, ad Lectorem.

Si iuvenum Argivae matrem Iunonis ad aram
Qui tulerant, Superis grata fuit pietas;
Atque ii propterea caeleſti ſede locati,
Nil mirum Ianum ſi rapuere Dii.
Illi plauſtra ſemel matris ſubiere, perenni
Marcellos cantat carmine Pannonius.

Adriani Vilbarcii Moravi, Hendecaſyllabi.

Graji, docte Piſiſtrate, poëtae,
Debent, Argolicae ſimul Camenae
Tibi, qui laceros, ſitu inquinatos
Homeri, patris omnium ſophorum

Ver-

Verſus, in numerum ſuum locaſti.
Quin et Romulidum tibi lepores,
Auguſte optime, patriae beatae
Princeps, Virgilium optimum poëtam,
Acceptum referunt, aguntque grates,
Quem non pasſus es interire flammis.
Tibi, Pannonii, Adriane, debent,
Ianum Pannonium; adſeris quod aevo
Edaci, vigil et gravi mederis
Plagae, vulneribus, ſimulque naevis,
Affectum male nec ſinis perire.
Felix patria, quae tuo coruſcet
Olim nomine; poſteris agreſtûm
Linques poſt ubi bella pellegenda.
Felix nunc etiam; tuoque ductu
Felix Ianus, ineſt piis modo quis
Senſus Manibus, o quot ille ſumit
Laetus gaudia, nec piget laborum,
Ad longam quoque palluiſſe noctem
Exultatque dies laborioſos,

Dum

Dum cunctis legitur, ſinu fovetur.

Blaſii Zacan Segedini Pannonii Octoſtichon.

Qui putri paulo ante ſitu ſquallebat, opaco
Carcere, nec poterat luce nitente frui,
Iam tandem caelo pulchrum caput extulit alto,
Ianus, et exoſis deſiit eſſe locis.
Invida quantum hujus famae detraxerat aetas,
Foenore nunc tantum reddidit alma dies,
Famaque durabit, Phoebus dum lampade terras
Ambiet, et curru Luna citata ſuo.

Ante editionem XV. Elegiarum Bononienſem A. M. D. XXII.

Hilarii Volphardi Transſylvani Hexaſtichon.

Immodicis Ianus dum fletibus aëra complet,
Et canit Aonia, carmina moeſta, lyra,
Phoebus ait, natum infelix Phaëthonta requiro,
Hic matris luget funera ſaeva ſuae.
Quos ſtudii et morum quondam conjunxerat uſus,

Nunc

Nunc facit et fati ſors inimica pares.

Adrianus Volphardus
Transſylvanus, Protonotarius Apoſtolicus;
Reverendo Domino Thomae Pellaeo,
Archidiacono Ozdenſi et Canonico Albenſi Transſylvanienſi
S. D.

Cum nuper panegyricum Ioannis Pannonii Epiſcopi Quinqueccleſienſis, in Iacobi Antonii Marcelli Veneti laudem concinnatum, ex incuria hominum neglectum et librarii inſcitia pluribus deſoedatum mendis, Thoma amiciſsime, reſtituere conarer; totusque in id, ne ſilentio tam praeclarus liber involveretur, incumberem; ut maturrime vulgaretur; praeſertim quod exemplum praeter hoc unum, quod apud me tunc erat, conſtantisſime, aliud ſupereſſe nullum, multi affirmarent; inciderunt in manus meas ejusdem Ioannis Pannonii quaedam Elegiae, non multis ante annis impresſae, elegantes ſane, et jucundae, nec minus leporis antiquam ſermonis Latini majeſtatem redolentis refertae, quam eruditionis variae ac multiplicis abundantes; quarum lectio-

ne

ne plurimum oblectatus, facturum me operae pretium ſtudioſis poëticae, et Manibus defuncti vatis, velut iuſtis ſolutis, rem piam et gratam exiſtimavi, ſi eas accuratius recognitas, repoſitis etiam qui in ipſis deſiderabantur verſibus, emendatiores reddidisſem; fereque tantundem hactenus non viſas, prioribus, veluti germanas, et poſtliminio in patriam haereditatem receptas, conjunxisſem. Verum anguſtiae temporis, et ſolitae circa leges, quarum ſtudio teneor, occupationes, vix ſatis otii deſtinatae diligentiae ſuppeditabant. Placuit itaque a conſvetis ſtudiis aliquantisper, quaſi mei colligendi cauſa, ad manſvetiores humanitatis literas, quae me a puero ſemper delectarunt, animum applicare; et curſim expunctis inter legendum redundantibus, quae maxime hujus poëtae dignitati convenirent, apponere; Cujus voti compos factus, committere nolui, quin lucubratiunculas iſtas, tibi mei amantisſimo, et ſtudiorum id genus deſiderio incredibili flagranti dedicarem; tuoque nomine typis excuſas publicarem; ne, dum tu omnibus amicitiae numeris abſolutis, officiis denique cumulatisſime exaggeratis, ſuperare me contendis, ipſe non ſolum non reſpondere noſtrae neces-

ſitu-

ſitudini, ſed omnino meae inſtitutae vitae oblitus, et veluti gramine quodam apud Lotophagos paſtus, beneficii immemor viderer, juſtaeque reprehenſionis notam (a quo ego ingratitudinis vitio ſemper ab ineunte aetate abhorrui) ſciens prudensque incurrerem. Cave autem putes me officio vinci aequo animo poſſe perpeti, quanquam huic rei jam pridem ſedulo incumbas, nihilque quod ad vitam hominis cum inculpati, tum amicitiae non ſolum quaerendae ſed et conſervandae ſtudioſi ſpectat, ulla ex parte tibi deſit. Num enim in te quispiam integritatem, num fidem, num religionem, num tui amantium ſtudium requiſivit? Nunquid non ita tibi a teneris ungviculis ad virtutes viam muniviſti, ut non minus otii quam negotii rationem extare, et firmius in virtute quam fortuna praeſidium collocari oportere, praeſtantisſimum duxeris? An non procul vivere a popularibus auris, et disſentire ab eorum moribus, qui aut laedere, aut incesſere improbe eos, quibuscum agunt, conſveverunt, in votis habuiſti? Quem tu moleſtia affeciſti? quem tu maledico dente carpſiſti? cujus tu honorem aut famam depeculatus es? cujus tu vitam excusſiſti? cui porro obnunciaſti? Accipe igitur

tur has Elegias, fronte, qua ſi quid meorum ad te mittitur, jucunda conſveviſti, et hunc laborem noſtrum, vel ideo, quod tuo nomine vulgatur, poëtamque aeternitati conſecerat, vel ſi ita mavis, perantiquae amicitiae noſtrae ergo, boni conſule. Nec ſum animi dubius, plures a Ioanne Pannonio Elegias ſcriptas esſe, quae tamen aut perierunt, aut invidorum indignis loculis continentur. Sunt et nonnullae muſeo in noſtro Enyedienſi, perquam celebri Transſylvaniae oppido; quarum mihi copiam praeſens tempus, quod totum bellicus furor excepit, et a genitali ſolo quam maxima loci intercapedo, eripuit. Dies olim erit, qua poëmata vatis hujus, omnia, in ordinem et numerum redacta, vulgare maturabo. In praeſentia non fuit ſententia, has, quia in ordinem incurrerant, et magni intererat auctoris non negligi, inhonoratas ut potui, non ut volui, tranſire. Scitum eſt enim illud L. Crasſi, cauſam conferre in tempus, cum afferre plura ſi cupias, non queas. Vale. Bononiae. Sexto Idus Decemb. M. D. XXII.

Poſt

Poſt has XV Elegias in eadem editione.

Adriani Volphardi Transſylvani ad Ioannem Pannonium poëtam Elegidion.

Orba parens nato, primos experta labores
Lucinae, quantis fletibus aegra gemit,
Impatiensque gravis moeroris, buſta frequentat,
Et multis cippum moeſta rigat lacrymis.
Poenitet ingratam ulterius producere vitam,
Deſerta ſolam nec juvat esſe domo:
Moerentes tantis nos intabeſcimus, eheu!
Fletibus, ecquis ſe temperet a lacrymis?
Tu decus, et populi flos delibatus, et ingens
Gloria, tu patriae ſplendor erasque tuae.
Per te Pannonios inviſere coepit Apollo,
Per te Pannoniis collibus ire juvat.
Macte animi, primus qui barbara verba fugaſti,
Pannoniosque facis cum Cicerone loqui.
Tu primus Latio docuiſti posſe lepore,
Et canere Argolica, carmina culta chely.
Sparſiſti auguſtum tu denique nomen in orbem,

Per te immortalis patria facta tua eſt.
Gradivo fuerat nuper quae ſacra cruento,
Te duce, nunc Phoebo clara trophaea refert.
Scilicet ingenio praeſtat quam vincere Marte,
Ornantur Muſis praelia dulciſonis.
Iure tibi acceptum, ſi quicquam posſumus, ultro
Reddimus, ac nobis tu quoque numen eris.
Et velut Andiades ſeſe debere fatentur,
Virgilio, noſtrae ſic tibi Pannonides.
Nec metuunt vinci, quanquam certare diſertae
Plurimae in Arctois gentibus esſe ſolent.
Impia ſi posſent fatorum jura reſolvi,
Et posſent flecti numina laeva ſimul,
Tu Pylios ſuperare dies, tria ſecula ſolus
Neſtoris illius vincere debueras.
Et quod cornici, cervisque fugacibus aevum
Contigit, id vates vivere dignus eras.
Sed quoniam Lacheſis non lenia verba precantum,
Audit, nec precibus flectitur ipſa piis,
Accipe Pimpliadum tibi quae pia cura ſororum

As-

Aſſerit, aeterno carmina rapta rogo.
Carmina Lethaeum non formidantia flumen,
Carmina, nulla unquam deperitura die.

Georgii Thabiaſſii Transſylvani ad libellum Phalaecii Hendecaſyllabi.

Prodi parve libelle, quid moraris?
Quid lucem refugis? ſatis ſuperque
Mures, phymata, ſtridulosque gryllos
Paviſti, ſatis et diu tenebris
Luxiſti, domini manum ſupremam
Expectans, mala caſibus repente
Quem ſors implicuit nihil merentem.
Nec te eſt ducere paſſa ad umbilicum.
Non te, qui reliqui jacent libelli
Perturbent, ſtudio tui incalentes
Proment Paeonii abditos, tibique
Iungent; ó niveo dies lapillo
Signanda illa erit; interim boni quod
Phoebus conſulat; et Deûm omnium rex,
Prodi parve libelle, quid moraris?

Franciſci Fabri Megienſis Transſylvani carmen.

Pannonicae Ianus decus et nova gloria gentis,
Flebilibus ceciuit carmina docta ſonis.
Carorum caſus, patriae res orſus avitas,
Expresſit laudes, docte Guarine, tuas.
Teque Iacobe, domus Marcellae invlcta propago,
Emuncto in coelum carmine ad usque tulit.
Romuleoque loqui quosdam ſermone Pelasgos,
Edocuit, liquit verba ſoluta ſimul.
Et rudibus Sylvis, Epigrammata junxit, amoris
Miles et ardenti pectore ſigna tulit.
Mens erat huic, magni numeroſa volumina Homeri
Vertere, ſed rupit ſtamina pulla Dea.
Praecidit Dea penſa ferox, at fama manebit
Perpes, dum refluus Tethyos humor erit.
Et vaga permenſo renovabit Cynthia coelo,
Curſus, praemagnus ſidera volvet Atlas.

Ioannis Bapdiſtae Novoſolienſis Pannonii Sylva.

Inclyta Pannoniae felicis gloria Iane,
Auſoniae ſplendor, Pegaſidumque decus.

Mel-

Mellito cantu durisſima ſaxa movebas,
 Obſtupuitque tuo carmine ſaeva tigris.
Auritae quercus te ſunt per rura ſecutae,
 Exhibuit Delphin obvia terga tibi.
Siſtebas quoties rapidisſima flumina cantu!
 Eridanus ſolitum ſaepe reliquit iter.
Incolis Elyſios, at nunc doctisſime, campos,
 Te cingunt animae ſuſpiciuntque piae.
Hic nova dum reſonas aurato carmina plectro,
 O quantum lingvis, turba beata, favet!
Morte tua celeri luget concusſus Apollo,
 Amisſum queritur rauca Thalia decus.
Interituque, dolent flentes, divine poëta,
 Italus heu! nimium, Pannoniusque, tuo.
Sed tua fama tamen vivet, dum Granus in Iſtrum,
 Curret, et in Ponti dum fluet Iſter aquas.

Ante verſionem e Plutarcho et Demoſthene; ed. Bon. A. M. D. XXII.

Adrianus Volphardus Transſylvanus Protonotarius Apoſtolicus, Reverendo Domino Vdalrico Budenſi, Cuſtodi et Canonico Albenſi Transſylvanenſi, raro amico S. D.

Non me praeterit, Vdalrice ſuaviſſime, amicitiam, neceſſarium mortalium vinculum plenis gloriae velis ab omnibus celebrari, ut qua minimae res cito creſcant, regna firmentur, latos imperia fines promoveant; quae ex hominum conſuetudine fugata, tantum humanae vitae ornamenti, quantum mundo Sol oculus omnium abſtrahit; Nec immerito Pindarus inceſſitur, qui aurum omnibus opibus antecellere putavit; ſiquidem, an non ibi opes, ubi amici? Porro, quid amico dulcius, quid gratius, quid majus, quid praeſtantius eſſe poteſt? contra, quid amarius, odioſius, vilius, deſpectius inimico? Ut merito Graecis paroemiae loco uſurpatum ſit, ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα. aurum item et quicquid divitiarum ſupra terram eſt, Fortunae arbitrio paret; ſola amicitia, quam nullae injuriae, nullae minae ſolvere queunt, extra fortunam conſiſtit. Quid? quod ferae, germina, et corpora coeleſtia, amicitia conciliantur, coaleſcunt, moventur? et ita mehercle comparatum

eſt,

eſt, ut nihil in univerſo ſine amicitia, ſuam vim et aeternitatem conſervare posſit. Ego ſi ſtylum paulo converterem et palinodiam canerem, quas non turbas mihi concitarem? in quot non laqueos me induerem? quibus non poenis expiandus cenſerer? nec dignus deprecatione, qui rem illaudatam ex uſu esſe mortalium praedicarem. Verum, non ſum adeo animi caecus, aut legum, quarum ſtudio oblector, imprudens, ut facesſendum negotium cuiquam esſe contenderem, unde odia et graves inimicitiae, quas fides exercere aquae et ignis interdicto vetat, exorirentur; ſi tamen inimicitiis imprudentes implicaremur, vitam ex his optime inſtitui, et nomen illuſtrari posſe, non ierim inficias. Mitto Catonem illum, quem ſuſceptae cum potentisſimis inimicitiae, ad amplisſimos honores perduxerunt; mitto Pompejum, humili et obſcuro loco natum, quem plurimis terra marique defunctum periculis, clarisſimum fecerunt. Eſt vero labes alia, negotioſitas inquam, quae praecipites plerumque fert homines, vitamque reddit probri ac juſtae animadverſionis plenisſimam; a qua nemo fere modeſtiae et laudis verae cupidus, non valde abhorrere, ſtudio omni eni-

xus eſt. Quippe natura rerum parens, duplici lingvam ſepe circumvallavit, ut quae dictu non injucunda forent, ea quisque prius ſecum diu reputaret. Quantum enim gratiae et ornamenti bene compoſitae; tantum invidiae et dedecoris lingvae effrenatae accedit. Iccirco Neſtorem, Menelaum, et Vlixem, Homerus divinis laudibus celebrat, quod ſinguli in ſuo dicendi genere, eloquentiae quaſi procellam, ratione moderabantur. Therſiten vero ſine judicio, et ſine modo loquentem, cum loquacitatis, tum deformitatis damnat. Nec alia cauſa Romani olim Angeronam praeſidem ſilentii, et Aegyptii Sigaliona coluere. Cum igitur inimicitia laudis non ſit expers, negotioſitas autem ab optimis quibusque incesſitur, harumque altera juvamur, altera majeſtatis pene acceiſimur; permagni refert, quemadmodum illam exerceamus, hanc vero quam longisſime a nobis propulſemus, cognoſcere. Quamobrem Plutarchus, tantarum utilitatum humanae vitae rationem habens, quaecunque noſtra intereſſe putavit, duobus libellis complexus eſt, quos a Ioanne Pannonio Latinitate donatos, tibi Vdalrice carisſime, nominatim nuncupare, veteris noſtrae necesſitudinis recor-

datio

datio hortata eſt; et quod tu horum copiam mihi primus feciſti, tu ut ab hominum oblivione et ſilentio vindicarentur, efflagitaſti. Taceo quibus officiis me devinxeris, qua benevolentia a puero proſecutus ſis, qua fide in amicitia, bonis inita auſpiciis, permanſeris, quam integritatem prae te ſemper tuleris. Quis in te innocentiam, quis religionem, quis mores compoſitisſimos, quis bonorum patrocinium, quis in adverſis fortitudinem, in capiendis injuriis animi magnitudinem, in moderandis cupiditatibus temperantiam deſideravit? Conſulto praetereo, nimis quam magno bonarum literarum amore, quem ne flexus quidem aetatis diminuit, flagraveris, vitamque illis, tanquam coloribus optimis exornaris. Sed canam receptui, aliud tempus iis perſtringendis aptius aucupaturus. Hoc tamen clam te esſe nolo, plura menda, quibus interpres obſitus ſquallebat, a me quoad ejus fieri potuit, deterſa esſe. Si quid autem occurrerit praeter ea, memineris imbecillitatis esſe mortalium, nihil conſtare omni ex parte ſatis perfectum. Verterunt hunc Plutarchi libellum, Quibus modis ab inimicis juvari poſſimus, alii quoque, docti ſane homines, Ianum Pannonium ſecuti; quis tamen eo-

rum primas obtineat, ad te, tuique ſimiles purgatae auris lectores refero. Non fuit hoc praetereundum, commonere lectores, Hiſtoriae de Scauro et Domitio, eo in libello aliter a Plutarcho relatae, quam a Cicerone in Oratione pro Dejotaro. Ceterum alterum de Negotioſitate libellum, ab alio quopiam, in Latinum ſermonem converſum eſſe, hactenus mihi liquere non potuit. Vale, et me, ut facis, ama. Bononiae XIIII. Cal. Decemb. M. D. XXII.

Interpretationibus ſubjunguntur ſequentia:

Hilarii Volphardi Transſylvani Epigramma.

Laus in amicitiae regno fuit una reponi,
 Olim Trinacriae, ſaeve tyranne, tibi.
Inſanumque ſequi Pylades gaudebat Oreſtem,
 Per ſpineta, lacus, flumina, rura, domos.
Pelides caſum Patrocli eſt ultus, ovantem
 Hectora dum circum moenia pulchra rapit.
Tanti erat antiquis carum ſervaſſe ſodalem,
 Tanti erat hoſtiles pertimuiſſe minas.
Sed vitanda tamen non ſunt inimica ſubinde,

Exem-

Exemplo quondam Pelias haſta fuit.

Theſſalus et vitam deſpondens nempe Prometheus,

In bello medicas repperit ipſe manus.

Sint inimicitiis quam commoda multa, Plutarchus

Explicat, optandae ut ſint inimicitiae.

Andreae Iaſtrabini Pannonii Hexaſtichon ad Lectorem.

Calvitiem, muscas, febrim, Buſiridis aras,

Nonnulli ornarunt laudibus innumeris.

Quid mirum, ſi ſancta legit praecepta Plutarchus,

Frugi hominem formans ex inimicitiis?

Illos ad laudem ſola impulit oris opimi

Vis; hunc hortata eſt publica at utilitas.

Ante partem priorem Editionis Venetae
A. M. D. LIII.

Hilarii Cantiunculae ad Nobilem adoleſcentem Wolfgangum a Saurau, cognatum cariſſimum, in reſtitutionem Iani Pannonii Elegia.

Accipe ſidereum, dulcis cognate, poëtam,

Accipe Pannonium, frater amate, meum.

Cu-

Cujus Apollinco plures in carmine gemmas,
  Ingenii laudas dexteritate tui.
Cujus et ipſe doles calamos, facilesque Camoenas,
  Immodico presſas conticuisſe ſitu.
Dum fragiles ſpectantur opes, et tempora Muſis
  Attribui, vera Pallade, nulla ſolent,
Donec et inviſae ſpernuntur ab omnibus artes,
  Vnaque divitias cura parare ſubit.
Nam gelidi vates illud clarisſimus Iſtri,
  Expertus, tenebris pene ſepultus erat.
Vix ſtudiis olim, conſummatoque labori,
  Tempora poſt obitum nactus amica, ſuo.
Sive fuit Divûm non averſata voluntas,
  Seu magis hoc ſortis conſtituere vices;
Quae voluere loco tandem majore, libellum,
  Poſteritate legi, poſteritate coli.
Interitum quamvis vix effugit undique presſus,
  Vndique ſe pravo dilacerante grege.
Nam ſatis apparet, quid iners confecerit aetas,
  Quid mala ſuſtulerit turba, malusque favor.

In-

Invidia, manibusque cito praerepta malorum,
  Nulla ſequuturi fama decoris erat.
Scilicet amisſum multi doluere, quid autem
  Interea nulli reddere cura fuit?
Non ita commisſum, ſerpens Atlanticus, aurum,
  Non ita magnificas, ſervat avarus, opes;
Vt loculis noſtri plerumque poëmata condunt,
  Nomina cum parvo ſaepe labore petunt.
Cur ego laudarim tales, optemque tenere,
  Solus inhumana quae ratione legam?
Quid mihi furtiva livor concludis in arca,
  Dulcia laurigeri carmina vatis opus?
Vis mea conſimili ſuffundere pectora fuco,
  Vt doleam, ſi cui vena diſerta fuit?
Ne celebri fama, longoque fruatur honore,
  Qui teneris, nomen coepit habere, modis?
Vt patiar mecum caſtas vileſcere Muſas,
  Impediamque tuum creſcere, Phoebe, decus?
Quin potius dignae magno referantur ab Iſtro,
  Atque mihi grates Pannona fortis agat.

Ac aliquod nobis meritum, laudemque relinquat,
Quisquis ab hoc ſtudio non rude pectus habet.
Omnibus exemplar, victuri nomine vatis,
Proponam vigili ſedulitate meum.
Cum quibus hoc ſaltem fieri commune laboro,
Quod prius a multis ſaepe rogatus eram.
Saepe rogatus eram, quicquid factura voluntas,
Noſtra fuit Clario ſponte parata choro.
Vt ſemel in lucem, per me revocata, ſubirent
Pannonii longos, haec monimenta, dies.
Poſteritas per me, vatem cognoſceret, ipſi
Digna reluceret gloria, dignus honos.
Sed malus ordo diu, falſaeque pericula chartae,
Iuſta reſervati cauſa fuere libri.
Quae penitus laudem, ſtudioque refecimus omni,
Per feriem titulos contulimusque bonam.
Delituere ſimul, quae ſparſa prioribus, acri
Invenies cura, reddita multa, locis.
Et vacuum mendis totum prodire poëtam,
Pene novum, veteri deficiente ſitu.

Quem,

Quem, Wolfgange, tibi, cum nomina noſtra legentur,
 Vnanimis gratum pignus amoris habe.
Hanc operamque boni ſtudiorum ſuſcipe cauſa,
 Magna tibi quorum gratia ſaepe fuit.
Et quamvis aliena feram, tamen illa benigno
 Pectore ſi capias; non leve munus erunt.
Forſan et e noſtris, aliquid vulgare Camoenis,
 Quodque probes vena liberiore dabo.
Cum mihi majores fuerint in carmine vires,
 Atque Meduſeae plenior artis ero.
Nunc peregrina ſuo non averſabere fratri,
 Publica ſed nuper facta, dicare tibi.
Sic etiam Phoebo, cujus modo ſacra frequentas,
 Carmina nulla canas inferiora tuo.

Patavii, Anno ab accepta ſalute M. D. LII.
Prid. Id. Octobr.

Ante

Ante partem poſteriorem Editionis Venetae A. M. D. LIII. ſive ante panegyricum Marcellinum.

Hilarii Cantiunculae, ad nobilisſimum adoleſcentem Wolfgangum a Saurau, cognatum carisſimum, in Iani Pannonii panegyricum ad Marcellum Venetum Elegia.

Dum mihi, Paeonii divina poëmata vatis,
Emeritae luci reddere cura fuit;
Omnibus hunc Iani ſcriptis, contexere totum
Saepe laboravi me quoque poſſe librum.
Saepe laborantis tamen irrita vota fuerunt,
Implerim numeris quamlibet illa ſuis.
Vtpote, neſcio quae nondum perfecta reliqui,
Ac aliqua ſemper parte carebat opus.
Neſcio quid deërat, quod concertaret utrinque,
Smyrna tuae laudi, Mantua ſive tuae.
Ipſe nihil potui, nec enim fuit ulla facultas,
Vlterius ſtudiis inde relicta meis.
Multa quod obſcuro livor ſubduxerat aſtu,
Pannoniam poterant quae decuiſſe lyram.
Nil potui, gemitu niſi quod fortaſſe videbar

Dam-

Damna cothurnati publica flere chori.
Temporis indolui merito diſpendia noſtri,
Invidiamque ſacris poſſe nocere viris.
Plorabant triſtes mecum ſimul omnia Muſae,
Sors licet alma Deûm numina flere neget.
Ipſa velut celſo lugeret vertice laurus,
Flexerat horrentes, fronde jacente, comas.
Ac velut in lacrymas reſolutus, gurgite vaſto,
Fuderat undantes, fons Heliconis, aquas,
Sola loci facies, et moeſta quietis imago
Ceperat Aonii, culmina bina, jugi.
Omnia luctus erant, interceptumque dolebant,
Grande Lycaonii ſideris eſſe decus.
Et merito; verum mens, immortale poëma,
Immerito, nulli reſtituiſſe fuit.
Donec reſpiciens me, carminis annuit auctor,
Hanc operis ſummam velle juvare manum.
Seu fuit illa mei, ſeu Phoebo cura poëtae,
Cura quidem Iani, non fuit illa, mei.
Ecce reſervati, dederam monimenta libelli,

Ora per aeterni docta volare gregis.
Iamque fere ſummas praeli vitare lituras,
Coeperat, et finem reſpiciebat opus;
Cum ſubito clarum divinus fautor alumnum
Suſcitat, et ſtudio conſulit inde meo;
Arlenium, Tuſci Florentis ab urbe petito
Carmine, Marcelli promere facta, monet.
Ille virûm nobis primum dedit arma cientem,
Pannoniam luci reſtituitque tubam.
Ille novem curat lacrymas inhibere Sororum,
Ille vetat fortem contemerare Deos.
Gaudia ſublato teſtantur acumine lauri,
Fons ſacer in liquidas mollius exit aquas.
Priſca loci facies, cantuque ſonantia Tempe,
Oſtendunt ſolitum praenituiſſe jubar.
Arctoo rediit decus et ſua gloria caelo,
Dravus ubi gelidam lambit et Iſter humum.
Pollicitis majora dedit, qui pectora vatum
Caſtaliis agitat magnus Apollo modis.
Pars etenim reſtat noſtrae quoque laudis in illo,

Ar-

Arlenius coepti quod juvat orſa libri.
Scilicet ingenuum praeſtabit munus amici,
Hanc operam doctis poſſe placere meam.
Donec Apollineam, qua claruit inclytus Orpheus,
Ante, ſinu dulci carmine promo chelym.
Ianus enim, magni numeroſior aemulus Orphei,
Hac ipſa Superos movit, ut ille feras.
Orpheus arte feras permulſit, et arte volucres;
Nec tamen Odryſias leniit arte nurus.
Quin etiam Ianus ſibi non moritura paravit
Commoda divinis cantibus, ille necem.
Sed quid ego dubitem confundere ſacra profanis?
Ethnica ſi noſtris aequiparare velim?
Cum neque Pannonio mea nunc encomia quicquam
Laudis (ei quamvis debita jure) ferant?
Illius aeternum per ſe decus aſtra polumque
Egreditur, multo ſplendidiore nota.
Interea, Wolfgange, meum ne ſperne favorem,
Qui dicat iſta velut ſcripta ſecunda tibi.
Sume novum noſtri, cariſſime frater, amoris

Pignus, et ingenio carmina digna tuo.
Et memor eſto, mihi juſtis ignoſcere cauſis,
Quod non haec melior ceperit ante locus.
Haud equidem nobis, neque correctoribus ipſis,
Defuerat Genio, cura laborve, malo.
Reddita quae tarde fuerant, tibi tarda relinquo,
Munera, ſed magna ſedulitate tamen.
Tu modo ſi placido ſumſiſti cetera vultu,
Haec quoque non alia ſuſcipe mente, Vale.

Patavii Prid. Id. Decemb. M. D. LII.

Ante Sambuci editionem Viennenſem A. M. D. LXIX.

Monitum Sambuci ad Lectorem:

Altera libri pars, cujus foliorum numeri ſunt notis Romanis inſignes, tota nunc primum in lucem prodit. Olim quoque extabat altera. Haec te ſcire volui, ut in colligando utramcunque partem velles, praeponeres; quod initio, antea vulgata his connectere non conſtitueramus.

Jo.

Io. Sambuci epiſtola ad Ioannem Liſthium Electum Weſprimienſem, Procancellarium Vngariae, Conſiliarium Caeſareae Majeſtatis.

Si, quibus res pub. imperiaque plurimum continentur, ea, ut apud alias gentes, in Vngaria quoque viguisſent, non minus, credo, florentem omni genere bonorum patriam, atque illam perpetuam cerneremus, literarum ſtudiis et diſciplina morata. Quorum quidem alterum ſemper negligentisſime habitum, alterum etiam illius deſtitutum ope, disſenſiones atque bella domi fatalia concitarunt. Et quanquam negari nequit, fortitudine atque ſcientia uſuque militari qui noſtros antecellant, esſe hodie nullos; niſi tamen conſiliis prudenter initis, et ad quosvis caſus inſtructis, concordiaque principum amabili, res adminiſtrentur, labi nos atque periclitari ſaepe in magnis necesſe eſt. Ea re Turca ſummae nunc ſaluti noſtrae imminet, niſique ſtatim corroboremur, ſalvi esſe nequeamus, calamitoſamque regni everſionem dolis vique allata ſit daturus; Nunquam ille cesſabit gurges heluari ſangvinem Chriſtianum, non ex viſceribus noſtris ſe replere, osſibus arces ad caelum extruere, cunctave pro-

pria, niſi Deus averterit, ſibi dicare. Quod autem litterarum elegantia, et quibus ad humanitatem informamur, commode in Pannoniam vocari, excolique cum laude potuisſent, exterorumque admirationem invenire; magna ſemper omnibus fuit opinio, et quotidie creſcit, quod nec ingenia noſtris neque conatus, minus voluntas defuerit. Quodſi forte tot bellis, quibus perpetuis illigamur, viquе inteſtina et externa labefactatam impeditamque dicas; quaero idem ego, cur ſaltem, quo tyranni furor nunquam pervaſit, iis in locis ſcholae litteratae non fuerint, ſcriptoresque boni quibus expoliremur recepti? Certe vero ingenia litteris contigisſent, qualia haud ſcio an ullis gentibus ita copioſa, et ad Muſas comparata univerſa videntur. Quam quidem laudem cum adhuc nonnullis partibus retineamus; tum de remotioribus a memoria noſtra, velut clarisſimum quoddam ſidus praeluxit Ianus Pannonius, Episcopus Quinqueeccleſiarum. Etenim ut ſcis, non ſolum aequales ſuos, optimarum artium ſtudiis, et in primis poëtices commendatione ſuperavit, verum cum omni antiquitate certasſe de opinione, vel ex illo ad Paulum (*Epigr. Lib.* I. *num.* CCCLXI.) conſtat; *Carmini-*

bus

bus noſtris nocet illud etc. Quam etiam non poſtremam tuliſſet, niſi morte praeventus ad immortalitatem commigraſſet. Atque eam ad excellentiam etſi natura illi ſubſidium non vulgare ſuppeditabat, labore tamen et conſtantia eſt aſſecutus, ut nihil anticipatum attuliſſe, nihil praeparatum ad litteras; omnia lucubrationibus, exercitatione peperiſſe omnia ſit viſus, exemplaque non obſcure praeſerant. Multa ſcripſit, meditatus eſt plura, numeris et perpetuo ſtilo; quorum quidem optima quaeque vel interciderunt, vel potius ab odio et invidia ne lucem aſpiciant, ſuoque tempore jugi fruantur, alicubi premuntur. Annales patriae heroicis ipſum verſibus uno in volumine colligaſſe multi norunt; quibus conficiendis quantum ipſe ſe ſuperarit, facile ex admiranda Marcellina Panegyri (quam una cum aliis, doctiſſimus, et felix poëta, Hilarius Cantiuncula, Venetiis edi curarat) quiſque ſecum cogitabit. Tomyris laudes, Trottae conſtantiam et ſimilia, quis non requirat? ſi apparerent; elegantiam, majeſtatem, copiam non agnoſceret? τὸ κάλλος ὀγκῶδες, κὶ κατὰ φύσιν δεινότητα non ſtuperet, imitatione ſimilitudinem conſectaretur? De cujus ratione in meis de Poë-

tica commentariolis ad Horatium, jam olim ſatis eſt disputatum. Neſcio quam nos ejus populares monumenta aeſtimemus, illud non reticebo, Italos, Gallos, et Germanos, totis hemiſtichiis, facultatem et ſpiritum Iani aperte imitatos. Sed quam laudem B. Rhenanus ante annos quinquaginta minimis quibusdam epigrammatis ejus viſis, Pannonio quoque tribuerit, ex epistola ad Iac. Sturmium ſubjicio: *Sic hujus me lectio totum rapuit, ut ſi cujus veteris alias. Habet enim carmen non anxie cuſum ſed plane inelaboratum et majore ingenio quam cura fluens. Praeterea reconditam eruditionem in panegyrico oſtendit, tantum ſabularum, tantum hiſtoriarum intexendo. Sunt nonnulli, quibus parum placet, quicquid noſtrum vel ſeculum vel ſolum protulerit; a quibus ego longe disſentio, quippe qui Ianum et Erasmum, tametſi hunc Germanum et recentes, non contemtius lego quam Politianum et Hermolaum; imo quam Maronem* Tullïumve, *quod mihi perſvaſum habeam, hujus temporis dicendi modum, non minus noſtro ſaeculo, quantum ad eruditionem attinet, conferre, quam vel Tullii vel Quintiliani.* etc. Hactenus ille, Quid ſi haec ille poëmata vidisſet? Bru-

ni

ti et Galbae in Plutarcho Vitae Latinae, huic omnino Interpreti ſunt tribuendae, quod ipſum de libro Veronae a me viſo et a Guarino emendato, teſtis oculatus confirmo; qui pro Cteſiphonte hujus ipſius quoque verſionem pene abſolutam habeo. Atque cum illorum majorum noſtro malo, temporumque vitio, recuperatio ſit optanda potius quam ſperanda; minora haec, et juvenili ſubitoque fervore obiter effuſa, non ſunt obſcuranda. Quae cum per Italiam et Vngariam ſolicite conquiſivisſem, tuque etiam aliquot e naufragio tabellas velut reliquas adjecisſes; legi cum nominis tui uſurpatione, notaque esſe volui. Nam cum vetuſtatis pene nimium ſtudioſus quibusdam videar, nec pauca ejus ſenſus jam exempla extulerim, porroque conſtanter idem ſim facturus; tum vero hujus praeſulis cogitationes ita revereor, ut niſi aliquando expedita, ſuo tanquam natali ſuſcipiantur, omnibus ſit non parum dolendum. Quae vero praeter antea dudum edita cunctis nunc patent, ſane tuo patrocinio nituntur. Ac licet quidem Ianus nondum firma conſtitutaque aetate illa, minus ſacerdotio deſtinata luſerit, et quidem Italia magiſtra; bonis tamen et ad conficiendum aptis ſto-

 machis,

machis, grata erunt; quos vero vel beta offendit, Eunuchis ſuos caſtratos poëtas linquamus; quod Tullius dicebat, *ſine contumelia bos dimittamus, cum boni viri ſint, et, ut ſibi videntur, beati.* Vtinam quidem Annales ejus aliquando Viennae conſpecti et lecti prodeant, carceresque perfringant! non ſecus, me Deus! atque Ciceronis aut Livii quae periere, mecum excipienda ducerem. Tantum quisque huic vati jure tribuendum cenſeat. Quodſi Vulcano vel Iſtro ſunt tradita, vel, ut quidam non diſſimularunt, excrementis humanis loco abdito, foraminibusque putruere, Manes invidorum luant poenas, quod φθόνος ἔξω τῶ θείω χορῶ ἵςαται· ut eſt in Phaedro. De vita iſtius vatis, qui Matthiae Regi fuit carus, antea Patavii, quod ſciebam, ſignificavi. Sed omnia nunc ex IV. Decade Bonfinii uberius poterunt repeti. etc.

Ioannes Sambucus ad Ianum Pannonium.

Iane, quis tua ſpiritus replevit
Svavis pectora? quae plagas Dearum
Incultas ſubiit, Scythasque vico
Audino fidibus placere fecit?

En

En quo ſe extulit Iſter ominoſus!
Vt jungit Tiberi ſuos liquores,
Permesſumque rigans, vehit novenas
Cum lauro ex Helicone jam Sorores?
Annales utinam laborioſi,
Prodeant, patriamque corruentem
Virtutis moneant, ſpeique avitae.
Quis majora poteſt tuis Camoenis?
Aut ſperet numeros diſertiores?
Tecum barbaricis poëta regnis
Exul vivere Naſo maluisſet.
In diraque Tomo, et gelu peruſta
Quidvis ferre miſer, morique tecum,
Quam Sulmone diu frui beata.
Quid ſi forte Maro Aonum relictis
Aris, duceret ad tuas ſacerdos
Voto laurigeras lubens Sorores?
Vives carminibus perenne vates,
Claraeque ingenii virûm per ora
Vigebunt mage cogitationes.

Ante editionem Francofurtenſem A. M. DC. XIX. in Deliciis poëtarum Hungaricorum.

Daniel Bedő Korodius Pannonius, poëta laureatus Caeſareus, ad Io. Philippum Pareum, Iani Pannonii poëmata denuo edentem.

Iane, quis tua, quis furor replevit
Dius pectora, dulcium Sacerdos
Muſarum ſacer, o decentiora
Vt ſitu monimenta tam vetuſto
Iam correpta novis dares pagellis?
Accius vetat obſoleta rurſus
Vates carmina, bisque terque inunctus.
Te purgante bidente duriore,
Et lingva loquitur recentiore.
Thurii fugitiva nuper ultro
Adſciſti propriis opella opellis.
Iſthoc Pannonii premis libello
Iani carmina, nec ſinis tenebras

Le-

Lethaei ut ſubeant fluenti opacas.
En, quo cespite Rhenus ominoſus,
En, quo ſe extulit, et ſuos liquores
Iſtro miſcuit appetentiores.
Montes Carpathios rigans, ſorores
In ludos pariles vocat novenas!
Libri o utinam laborioſi
Prodeant, patriamque prominentem
Virtutis moneant, ſpeique avitae!
Sed tu carminibus perenne vates
Vivas, ingenii et vigor per ora
Virorum volitet frequentiora,
Masculus gravium politioris.

Debretzini in Hungaria IV. Eid. Ianuar. M. DC. XIIX.

TESTIMONIA ET IVDICIA SELECTA

DE

IANO PANNONIO

virorum doctorum; ubi tamen ea, quae jam in vitis et praefationibus commemorata fuerunt, ne actum agere videremur, non recenſentur; cujus generis ſunt: T. Veſp. Strozzae, B. Guarini, Aeneae Silvii, Bonfinii, Volaterrani, Tuberonis, Iovii, Pierii Valeriani, Aldi Manutii, B. Rhenani, Eraſmi, Lipſii, et plurium aliorum.

(I.)

Lilius Gregorius Giraldus de poëtis ſui temporis Dial. 1. *p. m.* 387.

Eadem fere aetate vel paullo ante, in aliquo habitus eſt poëtarum numero Ioannes Pannonius, Quinque eccleſiarum (ea eſt civitas apud Pannonas,) pontifex. Hujus carmina aliquam prae ſe ferunt indolem renaſcentis poëtices, quae

ante

ante hos, ut plane noſtis, per multa ſecula pene extincta jacuerat. Plus hic Heroïco aliquanto praeſtitit quam Elegia; id quod plane oſtendit panegyricus, quem in Guarinum Veronenſem, quo doctore uſus fuerat, edidit.

(II.)

Georgius Sabinus
in libello, De carminibus ad veterum imitationem artificioſe componendis.

Eſt quaedam initii et finis iteratio acrimoniae et venuſtatis plena, quam Rhetores complexionem vocant. Ea fit in hunc modum, ut apud Ianum Pannonium in querela Italiae ad Fridericum III. Imperatorem: (*a* v. 235. *ſqq.*)

Quod ceſſat Phoebea chelys, quod carmine rupto,
Aoniae ſiluere Deae; Mars impius egit. ------
Quod ſpretis audax Muſis petit arma juventus,
Et volucres premere audet equos; Mars impius egit. ---
Quod cernis nullum deſerta per oppida civem,
Nec campis errare greges; Mars impius egit. ---
Quod ligo, quod vomer, quod ſarcula, raſtra, bidentes,
In gladios abiere truces; Mars impius egit.

Et paulo ante:

Eſt

Eſt et alia iteratio ſeu repetitio initii, cum pentameter verſus deſinit in easdem voces vel duas vel plures, a quibus hexameter incipit, ut apud Ovidium: Phoebus adeſt cet. et apud Ianum Pannonium: (*Lib.* I. *Eleg.* VII. v. 29. *ſq.*)

Frigus et humor agunt, ut vexent corpora morbi,

Vt nata intereant, frigus et humor agunt.

Item: (*ibid.* v. 129. *ſq.*)

Culpa tua eſt quicquid fecit Titania Circe,

Quicquid et Aeetae filia, culpa tua eſt.

Idem Sabinus Epigramma Iani Pannonii ſequens: Lib. I. *num.* XXXVII.

Non eſt hic, ſtudioſa turba, non eſt

Feſtivisſimus ille Martialis,

Verum ſimia Martialis haec eſt,

Cui tu, non quoties ſacro poëtae,

Sed duntaxat ea vacabis hora;

Qua cum ſimiola voles jocari.

hoc inquam Iani epigramma ita expresſit et imitatus eſt Sabinus Epigrammate 2. *cui titulus: Liber ad lectorem:*

Non ego ſum lepido compar epigrammate vati,

Quo didicit ſalſe Roma jocante loqui.

Ipſe ſed illius quaſi ſimius aemula ludo

Carmina, quae quanquam non tibi forte placent,

Tu tamen evolvas; cura graviore vacantem

Te, cum ſimiolo ludere quando juvat.

(III.)

Vincentius Opſopoeus
in Dedicatione Diodori Siculi.

Eadem calamitate et hic noſter Diodorus Siculus eſt affectus; cujus modicas has, quas tua Celſitudo videt, reliquias, ab Iano Pannonio quondam Quinqueccleſienſi episcopo ab interitu vindicatas, ac deinceps ab eruditisſimo viro Ioanne Alexandro Brasſicano (ne quem merita laude defraudemus,) nobis per Ioan. Petrejum communicatas, et nunc tandem a me transſcriptas edimus.

(IV.)

Ianus Douſa
in Praecidaneis ad Petronium cap. 23.

Vtque non modice ſed plena manu tecum porro agere perſeverem, mi Lector, etiam recens quoddam ſuperioris ſecu-

culi exemplum iſtuc pertinens, in commune hoc loco proponam, a poëta uno omnium elegantiſſimo Iano Pannonio petitum; in cujus Elegiarum opere verſus iſtiusmodi extare invenitur: (*Lib.* I. *Eleg.* IX. v. 53. *ſq.*)

Nec niſi duratum Lambro thoraca volebam,
Nec niſi ferrato, ferreus ire, fero.

(V.)

Petrus Francius
in Lauru Europaea, Oda quae inſcribitur:
Victoriae Caeſarianae acceſſio.

Vrbis propinquae conditionibus
Specto labantem, Quinque ſuum loco
Delubra; cui nomen dederunt
Pannonii pede trita Iani.

Cui adnotationes ipſe Francius has adjecit:
Quinque-Delubra) Quinque Eccleſiae.
Pannonii Iani) Ianus Pannonius princeps poëtarum Hungaricorum, Quinque Eccleſiarum fuit Epiſcopus.

(VI.)

Ianus Broekhuſius
in annotamentis ad Propertium
Lib. 3. *Eleg.* 10.

Accedat praeclarus ſuperiorum temporum poëta Ianus Pannonius, Quinqueccleſienſis Epiſcopus, meliori vir ſorte ac fato dignisſimus, (*Eleg.* IX *Lib.* I. v. 53. *ſq.*)

Nec niſi duratum Lambro thoraca volebam,
Nec niſi ferrato, ferreus ire fero.

Idem Broekhuſius utitur etiam Iani Pannonii teſtimonio, in ſelectis clarorum virorum de Propertio Iudiciis, ejusque hos laudat verſiculos: Eleg. Lib. II. *Eleg.* IV. v. 17. *ſqq.*

Nemo adeo eſt amens, quin Vmbros praeferat agros
Omnibus Italiae fertilitate locis.
Nec quoque gauderet ſe hac gente Propertius ortum,
Ni ſtudio belli, ni foret apta togae.

(VII.)

Ioannes Alberti,
editioni poëmatum Iani Pannonii Venetae, qua utebatur, baec de illo ſuis manibus aſcripſerat:

Altera haec elegantisſimi poëtae Pannonii editio adcurata eſt et nitida. Exſtat alia novisſima, quae prodiit Viennae Auſtriae, ex officina Casp. Stainhoferi A. 1569. in 4° opera Io. Sambuci, qui omnia Iani noſtri poëmata, quae uspiam reperiri potuerunt, cum praefat. edidit, adjecta altera etiam parte, quae tota tunc primum in lucem prodiit, ſed non aeque eſt adcurata. Addo omisſum in omnibus editionibus et forte ἀνέκδοτον carmen (*Epigr. Lib.* I. *Ep.* LXI.)

Iani Pannonii,

de Laude Pannoniae:

Quod legerent omnes, quondam dabat Itala tellus,
Nunc e Pannonia carmina misſa legit.
Magna quidem nobis haec gloria, ſed tibi major
Nobilis ingenio, patria facta, meo.

 (VIII.)

(VIII.)

Petrus Weſſelingius
in praefatione Diodori Siculi a ſe editi.

Primus omnium Vincentius Opſopoeus quinque ultimos, ut nunc dicere cogimur, libros, a Iano Pannonio Quinquecclesienſi in Hungaria praeſule, ab interitu vindicatos; ſecum vero ab eruditisſimo viro Io. Alex. Brasſicano communicatos, Baſileae anno Aerae vulgaris CIↃ IↃ XXXIX. Graece publicavit; non illos quidem emendatisſimos, variis tamen locis meliores illis editionibus, quae cultisſimae ſunt habitae.

(IX.)

Chriſtophorus Saxius V. C.
Onomaſtici Literarii Parte II. p. 454. ſq.

Ianus vel Iohannes Pannonius, Guarini Veronenſis, Andronici Calliſti, aliorumque tum in Italia virorum celebratisſimorum diſcipulus, Quinque-Eccleſienſis Episcopus, plurium librorum veterum interpres latinus, Orator, et felicisſimus carminum artifex. *cet.*

(X.)

Alb. Fabricius
Biblioth. Lat. mediae et infimae aetatis
Tom. IV. p. 26.

Ianus, antea Ioannes Pannonius Quinque-Eccleſienſis Epiſcopus, praeceptoribus uſus Guarino Veronenſi (qui nonagenarius A. 1460. diem obiit,) Ferrariae per multos annos; et ad poëticam laurum capiti ſuo aptandam Galeotto Narnienſi. Hungariam patriam ſuam, Graecae Latinaeque lingvae ſcientia et poëtices laude egregie nobilitavit; ut probe notatum Davidi Czvvittingero in ſpecimine Hungariae Litteratae p. 289. atque ipſe Ianus profesſus eſt, hocce tumulo ſuo inſcribi jubens Epitaphium:

Hic ſitus eſt Ianus, patrium qui, etc.

Idem Fabricius Tomo III. in vita Guarini mentionem ejus facit:

Guarinus ex nobili familia Guarina Veronenſis. Emanuelem Chryſoloram, qui A. 1415. in concilio Conſtantienſi obiit, Conſtantinopoli audivit per quinquennium; reverſurusque in Italiam capſas duas librorum MSS. in duabus navibus lo-

cavit. Cum altera venit, ſed demerſam alteram, perditis tantis theſauris librorum audiens, nocte una, ſi fides Pontico, canus totus factus eſt, prae dolore intolerabili. Docuit deinde Graecas Latinasque litteras, Venetiis primum, hinc Ferrariae, Veronae etiam ac Tridenti, tum Florentiae. Diſcipulos nactus clarisſimos, ipſe inter felices inſtauratores litterarum nomen eximium promeritus, obiit Ferrariae A. 1460. nonagenarius,

Cum jam bis decimi tangens confinia luſtri,
Non pede, non oculo, non ſenſu debilis ullo,
Purpureum clara ſervasſet voce colorem.

ut de eo Ianus Pannonius. (*Paneg. Guar.* v. 879. *ſqq.*)

(XI.)

Matthaeus Scaricaeus
Pannonius, in vita Stephani Szegedini.

Interea recenti adhuc memoria Italicorum Poëtarum, Baptiſtae Mantuani, Philippi Beroaldi, Callimachi ejusdem nominis Florentini, Ioannis Ioviani Pontani, et ſimilium, accenſi etiam Germani, id genus ſtudii haud invita Minerva perſequi. Inter quos primam Laureae coronam Conradus

Cel-

Celtes meruerat, Viennae poſtea Auſtriae, quarto poſt, quam Szegedinus noſter natus esſet, anno, ex humanis evocatus. Cujus quidem mortem ad haec usque tempora, praeclariſſima ſemper excepere Germanorum ingenia, Iano tamen noſtro Pannonio, quem Volaterranus ſub praeceptore Guarino Vngaretum vocitatum ſcribit, haudquaquam hactenus ſuperiora.

(XII.)

Ioannes Decius Barrovius
in Epiſtola ad Io. Telegdium A. 1591.

Ianus ille Pannonius Episcopus Quinque Eccleſienſis, noſtrorum poëtarum celeberrimus, cum tanta doctrina et auctoritate praeditus fuisſet, tamen non erubuit Vngaricam Grammaticam conſcribere. Quam, ſi majorum noſtrorum negligentia non amiſisſemus; haberemus certe, quo in hoc quoque ſtudii genere gloriaremur.

(XIII.)

Franciscus Pariz Papaius
in Rudere Redivivo, ad Annum 1589.

Felix urbs, Quinque Eccleſiae, duobus incolis, quorum

alter Ianus Pannonius dictus, perinde ut hic (Andreas Dudithius) Episcopus, Hungariam litteris beavit; quemadmodum ex epitaphio, quod funeris ſui cantator cygnus ante mortem ſibi ipſe cecinerat, et hodieque marmori inciſum ibidem viſitur, hoc modo poſteritati transmittit:

Hic ſitus eſt Ianus, patrium qui primus ad Iſtrum,
Duxit laurigeras ex Helicone Deas. cet.

Alter vero hic de quo loquimur, Dudithius etc.

(XIV.)

Nicolaus Olahus
in Epiſtola ad Emericum Kalnaium A. 1568.

Si quid ineſt nobis, quod multum exile fatemur,
Hoc furtim taciti me docuere libri.
Nulla igitur cauſa eſt, cur Iano conferar abs te
Pannonio, eſt cujus multus in ore lepor.

(XV.)

Philippus Mornayus
in Hiſtoria papatus p. m. 155.

Cur non potius tot auctoribus fides? et ante controverſiam natam, Ioannis Pannonii verſus quis neſcit? (*Epigr. Lib. I. Ep.* LVIII. v. 7. *ſqq.*)

Non

Non poterat quisquam referantes aethera claves,
Non exploratis ſumere teſticulis.
Cur igitur noſtro mos hic nunc tempore ceſſat?
Ante probat quod ſe quilibet eſſe marem.

Praeter hos mentionem de Iano Pannonio, nec ſine laude faciunt, Stephanus Szegedinus in Speculo pontificum; Geſnerus in Bibliotheca; Blondellus de Papa femina; Henricus Stephanus in Apologia Herodoti, ubi quosdam Iani verſus de Ioanna Papiſſa, Gallice reddidit; nec non Heumannus, Menckenius, aliique plurimi, ſummo judicio et praeſtanti eruditione viri, quorum teſtimonia jam asſcribere nimis longum foret.

(XVI.)

De Libris manuſcriptis operum Iani Pannonii.

Apponenda hic denique teſtimonia putavimus, Lambecii et Sambuci, de duobus illis codicibus MStis Auguſtae Bibliothecae Vindobonenſis, quorum ſide ſumus in caſtigandis et emendandis Iani noſtri reliquiis uſi. Quod igitur ad Lambecia-

becianum attinet; eſt ille codex manu ſcriptus chartaceus opusculorum Iani Pannonii, in 4o ut appellant; qui nunc in Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi asſervatur, ſed olim ad amplisſimam totoque terrarum orbe celeberrimam Matthiae regis Hungarorum Bibliothecam Budanam pertinebat, ſcriptus haud dubie vivo adhuc rege Matthia, eoque ante annum 1490. Quonam autem modo ex Budenſi illa, in Viennenſem translatus fuerit, id vero deſcribit Lambecius, Commentariorum Vindob. Lib. II. p. 989. cap. IX. ubi agit de itinere ſuo Budenſi, quod jusſu Imperatoris Anno *1666.* a die 25. Febr. usque ad diem 24. Martii peregit, ſusceptum propter reliquias nobilisſimae iſtius Bibliothecae regis Hungarorum Matthiae Corvini. Inſtructisſima haec Bibliotheca, poſt captam a Turcis urbem illam, ita disſipata fuit, ut vix trecentos, vel ſummum quadringentos libros, plerosque impresſos, exigui aut nullius fere pretii, Lambecius ex tanti Theſauri reliquiis invenire potuerit, cum decimo Martii die, A. *1666.* difficulter impetrata a Vezirio Budenſi venia, Cryptam, in qua reliquiae Bibliothecae regiae, praedicti nempe libri pulvere cooperti in terra cumu-

latim

latim aſſervabantur, ingreſſus fuiſſet. Sed operae pretium erit ipſummet Lambecium audire; qui loco antea laudato: *Nobis*, inquit, *permiſſum eſt, ut ex paucis codicibus manu criptis, quos impreſſis libris permixtos obiter inſpexeramus, ſeligeremus tres, et ad perpetuam rei memoriam nobiscum auferremus. Primus itaque eorum codicum, quos dono accepimus, erat membranaceus in 4° ut vocant majori, continebatque S. Gregorii Nazianzeni Sermones apologeticos novem, e Graeca in Latinam lingvam translatos. Secundus erat membranaceus in Folio, continebatque S. Auguſtini Sermones de Verbis Domini. Tertius denique erat chartaceus, in 4°, continebatque Ioannis Episcopi Quinque-Eccleſienſis, qui tempore Regis Hungariae Matthiae Corvini claruit, Poëmata quaedam Latina miscellanea.* Hactenus Lambecius; qui ibidem ad marginem libri adnotat; Iani Pannonii Poëmata collegiſſe et ediidiſſe primum omnium Io. Sambucum Viennae Auſtriae, typis Casp. Stainhoferi 1569. in 4°. cum tamen ſeptem editiones diverſae ante Sambucum lucem jam vidiſſent.

Deinde quod ad codicem alterum Sambucinum pertinet,

qui

qui ſolum continet Eranemum; eſt is pariter chartaceus a Sambuco Florentiae repertus, et editus Viennae A. 1567. de quo ita Sambucus in praef. editionis memoratae: Addidi (Regibus nempe Hungariae quos Sambucus carmine celebravit, eisque ſubjunxit Eranemum Iani.) Florentiae repertum a me Eranemum Iani illius Pannonii, quo Carmine ventorum naturam ambitioſa contentione, elegantisſime vix 19. annorum adoleſcens complexus eſt. Huic MSto manu Sambuci asſcriptum legitur: Excudi fecit Sambucus Viennae, cum ſuis Regibus Pannoniae 1ma Febr. 1567. Haec de MSStis Iani verſibus Bibliothecae Aug. Vindobonenſis.

Memorantur adhuc a viris doctis tres alii codices manu deſcripti, poëmata Iani Pannonii ſervantes, quorum primus eſt ille, qui Epigrammata potisſimum complectebatur, jusſu regis Matthiae a Petro de Warda Archiepiscopo Colocenſi collecta, quod idem Petrus in Epistola quadam ad Mich. Keſzthelyi Canonicum Strigonienſem A. 1496. data, teſtatur, addens tamen in eisdem literis, codicem iſtum, qui in membrana ſcriptus erat, jam tum periisſe. Vid. Chr. Saxii Onomaſticon Literarium Part. II. ad nomen: Ianus Pannonius.

nius. Hinc autem duo colligimus; primum, quod Vienneſe MStum chartaceum, quod a nobis collatum eſt, diverſum ab illo deperdito ſit, utpote in membrana ſcripto. Deinde, ex illa regis Matthiae cura et ſollicitudine de Iani Pannonii lucubrationibus poſt ejus fata colligendis, ſatis conſtare videtur, MStum Vindobonenſe hodiernum, ipſo rege Matthia vivo ſcriptum, et in Budana Bibliotheca regia repoſitum fuisſe. Alter codex manu ſcriptus Iani Pannonii Carminum extat Florentiae in Bibliotheca Laurentiana Medicea, Plut. XXXIV. No. XLIX. in quo prima Elegia eſt, De fonte Narnienſi, poſtrema vero, quae inſcribitur: *Ad animam ſuam.* atque ita longe plurima deſunt. Tertius denique codex ſcriptus ſupereſt in Ambroſiana Mediolanenſi, in quo dicitur ſervari quoque Poëma quoddam Iani noſtri ad Franciscum Barbarum; id quod ſi verum esſet, vinceret ille codex Mediolanenſis omnes, non editos modo, ſed et ipſum Vindobonenſem manu deſcriptum; in quibus nullum Iani Pannonii poëma Francisco Barbaro ſcriptum reperitur. Sed quoniam celeberrimas Italiae bibliothecas conſulendi nulla nobis fuit facultas; veni-

am

am ab aequis Lectoribus nos obtenturos ſperamus, ſi quid de Iani Pannonii ſcriptis alicubi apud Italos deliteſcat, quod in nulla, neque in hac noſtra legitur editione.

VA.

Digitized by Google

VARIETAS LECTIONUM
IN
IANUM PANNONIUM.

L. S.

Erunt fortasſe nonnulli, qui hanc noſtram in colligenda lectionum varietate curam, in librum minime vetuſtum, ſed poſt renatas demum in Europa literas confectum, nimis anxiam et ſcrupuloſam judicabunt, eoque vanae cujusdam affectationis dicam nobis impingent, tanquam oſcitantium librariorum errata numerare, inque unum contracta lectorum oculis ſubjicere non dubitasſemus. Verum enimvero, quando nobis conſtitutum esſet Iani reliquias, quoad ejus fieri posſet, emendatas edere; nulla alia ſuperesſe videbatur via id perficiendi, ut emendationum noſtrarum ratio conſtaret. Neque enim de ingenio noſtro ſic confidimus, ut quam nos lectionem recipiendam putavimus, eandem velut unice veram et e tripode pronuntiatam, omnibus aliis obtrudere velimus, ſed aequum potius duximus, rem omnem ad ſuum cujusque arbitrium et conjecturam deferre. Iam vero res

 fuit

fuit taedii, lectoribus non ferendi pleniſſima futura, ſi omnes hae lectionum diſcrepantiae, carminibus ipſis et textui, ut vocant, ſubjicerentur. Ceterum contulimus praeter MS. octo potiſſimum editiones vetuſtiores, rarius in conſilium adhibitis, quae poſt Sambucinam A. 1569. prodierunt, propterea quod hae, ex illis prioribus veluti fontibus deriventur. Reliquum eſt, ut quem quaeque nota librum deſignet, hic indicemus, teque bene valere jubeamus.

MS. R. C.	Manu ſcript. Regium Corvinianum.
MS. Er.	Manuſcript. Eranemi a Sambuco repertum.
Vien. I.	editio Viennenſis A. 1512.
Mag.	editio Bononienſis A. 1513. a Magio procurata.
Cam.	Viennenſis A. 1514 per Io. Camertem.
Frob.	Baſileenſis A. 1518. per Frobenium.
Volph.	Bononiens. A. 1522. a Volphardo curata.
Cant.	editio Veneta H. Cantiunculae A. 1553.
Opor.	Baſileenſis per Oporinum A. 1555.
Samb.	Viennenſis Sambucina A. 1569.
Deb.	Debrecinenſis A. 1594.
Par.	Francofurtenſis quam dedit Pareus A. 1619.
Bud.	Budenſis A. 1754.

M

AD PANEGYRICUM GUARINO SCRIPTUM.

Titulus panegyrici: *Ioannis Epiſcopi Quinqueecclesienſis Praefatio ad Guarinum Praeceptorem ſuum.* MS. R. C. *Ioannis Epiſcopi Quinqueecclesiarum panegyricus Praeceptori Guarino Veronenſi.* Vien. I. Mag. Frob. Cant. Opor. *Iani Pannonii Quinqueeccleſienſis Epiſcopi Sylva Panegyrica ad Guarinum Veronenſem praeceptorem ſuum.* Frob. in fronte. ed. ſuae. *Iani Pannonii Epiſcopi Quinque eccleſienſis panegyricus primus, dictus Guarino Veronenſi praeceptori ſuo.* Samb. Par.

PRAEFATIO.

V. 1. *Phillyridae*] MS. R. C. *Phyllyridae*, editi omnes.

2. *chelyn*] ſic MS. R. C. Samb. Par. *chelim*, Vien. I. Mag. Frob. Cant. Opor.

3. *Labyrintheos*] *Labyrinthaeos*; omnes.

5. *caeſtu*] ſic ceteri; *coeſtu*, Mag.

6. *toros*] *thoros*, omnes.

8. *Camena*] ita Par. *Camoena*, cet. omnes.

10. *Adſpiceres*] *Aſpiceres*, omnes.

15. *Silva*] *ſylva*, omnes.

20. *Peneum*] ſic MS. R. C. *Poeneum*, omnes editi.

21. *cithara*] *cythara*, omnes.

28. *Nubentes*] *Nubentis*, Mag. *Nubenteis*, ceteri.

32. *Scorpios*] *Scorpius*, omnes.

PANEGYRICUS.

V. 2. *Lyaeo*] ſic cet. *Lyeo*, Mag. Frob.

19. *Adſpiraſſe*] *Aſpiraſſe*, omnes.

29. *difficiles*] ſic Mag. *difficileis*, ceteri omnes.

40. *graciles*] *gracilis*, Mag. *gracileis*, ceteri omnes.

46. *jacentes*] *jacentis*, Mag. *jacenteis*, ceteri omnes.

48. *Femineo*] *Foemineo*, omnes. Ibid. *celatum*] ſic Opor. *caelatum*, ceteri omnes. Ibid. *Achillen*] *Achillem*, omnes.

55. *griphos*] *Grippos*, Mag. *gryphos*, alii omnes.

57. *vates*] Samb. Par. *vatis*, Mag. *vateis*, ceteri omnes.

63. *quattuor*] Mag. Opor. Par. *quatuor*, Frob. Cant. Samb.

64. *ſidera*] Opor. Samb. Par. *Sydera*, Frob. Cant.

78. *ephebis*] Par. *ephoebis*, ceteri omnes.

98. *Tyaneus*] Frob. Opor. Par. *Thyaneus*, Mag. *Tyanaeus*, Samb.

104. *Lyaeum*] ceteri; *Lyeum*, Mag.

107. *Quirites*] *Quiriteis*, omnes.

114. *Camenas*] *Camoenas*, omnes.

115. *Secula*] *Saecula*, omnes.

119. *ſalvumque Guarine reducam*] ſic omnes editi; *ſalvum Guarine reducam.* MS. R. C.

123. *fluctus*] ſic omnes alii; *fructus*, Mag.

124. *monticolae Carni*] MS. R. C. *Leva monticulae Carni.* Samb. Par. *monticolae Marni.* Mag. Frob. Cant. Ibid. *Hiſtri*] Opor. Samb. Par. *Hyſtri* Mag. Cant. *Iſtri*, Frob.

128. *litora*] ſic Mag. *littora*, ceteri omnes.

140. *Medos*] Par. *Moedos*, ceteri.

142. *ancora*] Frob. Opor. Cant. Samb. Par. *anchora*, Mag.

144. *Boſporos*] *Boſphorus*, omnes.

146. *Calliopea*] Par. *Calliopaea*, ceteri omnes.

151. *pius*] ſic ceteri; *prius*, Vien. I. Mag.

159. *auditore*] MS. R. C. Mag. Frob. Cant. Opor. *adjutore*, Samb. Par.

165. *Mopſopiam*] ſic cet. *Moſopiam*, MS. R. C.

167. *declamandi*] *declamatum*, omnes.

168 *Pythagorea*] *Pythagoraea*, omnes.

175 *purganda*] *purgata*, omnes.

176. *melius*] *medius*, omnes. Ib. *Spatiantum*] *Spaciantum*, omnes.

185. *Chryſolorei*] Par. *Chryſoloraei*, cet. omnes. Ibid. *omnes*] ſic Mag. *omneis*, ceteri.

201. *Symplegade*] Cant. Opor. *Simplegade*, Mag. Samb. Par. Ibid. *Sirmio*] *Syrmio*, omnes.

202. *Atheſis*] ſic ceteri; *Ateſis*, Mag. Ibid. *diducitur*] MS. R. C. *deducitur*, ceteri omnes.

203. *perſudas*] ſic ceteri; *per ſudas*, Mag. Frob.

214. *Cleanthes*] Frob. Cant. Opor. Par. *Cleantes*, Mag. Samb.

219. *pretioſa*] *precioſa*, omnes.

224. *aerumnarum*] ita ceteri; *erumnarum*, Mag. Frob. Cant.

230. *arenas*] ſic Opor. *harenas*, ceteri omnes.

240. *pretium*] *precium*, omnes.

246. *praemia*] ſic Opor. *premia*, ceteri omnes.

248. *Libycis*] ita cet. *Lybicis*, Samb.

250. *Mida*] ſic cet. *Myda*, Cant. Ibid. *convertit*] Mag. Samb. Par. *converrit*, Frob. Cant. Opor.

251. *Croeſus*] ceteri; *Creſus*, Mag.

252. *perfecto*] ſic MS. R. C. *profecto*, editi omnes.

255. *praecordia*] ſic cet. *precordia*, Mag.

256. *leviter*] Opor. *leniter*, cet. omnes.

257. *recedit*] cet. omnes; *recepit*, Mag.

259. *laeva*] ceteri; *leva*, Frob.

273. *contingit - arenas*] ſic MS. R. C. *contingat - harenas*, editi omnes.

274. *turpes*] *turpis*, Mag. Samb. Par. *turpeis*, Frob. Cant. Opor.

275. *Delicias*] ſic Opor. Samb. Par. *Delitias*, Mag. Frob. Cant.

294. *unive*] ſic Samb. Par. *uni ne*, cet. omnes.

307. *Mummius*] *Mumius*, omnes.

310. *arena*] ſic Par. *harena*, cet. omnes.

325. *litus*] *littus*, omnes.

333. *Erechthaeae*] ſic MS. R. C. *Erichtaeae*, cet. omnes.

335. *auctorum*] Samb. Par. *auctho-rum*, Mag. *autorum*, ceteri.

338. *ſecla*] *ſaecla*, omnes.

339. *aegrum*] ſic cet. *agrum*, Vien. I. Mag. Samb. Par.

343. *Ocius*] Mag. Samb. Par. *Ocyus*, alii omnes.

346. *Planities*] *Planicies*, omnes.

348. *mentes*] ſic Samb. Par. *mentis*, Mag. *menteis*, ceteri.

353. *Sed ſe*] ita ceteri; *Sed de*, Mag.

361. *pretium*] *precium*, omnes.

371. *callens*] ſic MS. R. C. Vien. I. Samb. Par. *calles*, ceteri.

374. *otia*] *ocia*, omnes.

383. *vitiis*] ſic Opor. *viciis*, alii omnes.

385. *cera*] ſic Opor. *caera*, ceteri omnes.

386. *ephebus*] Opor. Par. *ephoebus*, ceteri.

395. *Celeo*] ſic Samb. *Coleo*, Par. *coelo*, ceteri omnes.

400. *Eleuſin*] *Eleuſis*, omnes.

401. *frenantes*] Samb. Par. *frenantis*, Mag. *frenanteis*, ceteri.

402. *cives*] ſic alii; *dives*, MS. R. C.

411. *Ateſtinae*] ſic Samb. Par. *Areſtinae*, MS. R. C. *Aëſtinae*, Frob. Cant. Opor. *Aeſtinae*, Mag.

413. *Phaëthonteos*] *Phaëtonthaeos*, Mag.

Mag. Samb. Par. *Phaëoontaeos*, Frob. Cant.

415. *ſi felicia*] ſic ceteri; *ſic felicia*, Opor.

417. *tum duxit*] ceteri; *tunc*, Samb. Par. *dixit*, Par.

452. *cornigerum jungens cum matre juvencum*] *cornigera j. c. matre juvencam.* MS. R. C. *cornigeram j. c. Marte juvencam.* Mag. Samb. Par. *cornigeram j. c. mare juvencam.* Frob Cant. Opor.

454. *portam dum ſignat*] ſic Frob. Cant. Opor. *porta dum ſignat.* Mag. *portat dum ſignat.* Samb. Par.

455. *fragiles*] Samb. Par. *fragilis*, Mag. *fragileis*, Frob. Cant. Opor.

459. *celebravit honoribus illos*] ſic MS. R. C. *celebravit nomine tales*, editi omnes.

463 *Cynthius*] ſic Frob. Cant. Opor. *Cinthius*, ceteri omnes. Ibid. *Phrygios*] ſic Opor. *Phrygias*, ceteri omnes.

468. *diverſa Nivento*] ſic MS. R. C. *diverſa juventae*, Opor. *diverſa juventa*, ceteri omnes.

489. *Vrbs ſi quem tota una*] *Vrbs ſi quidem tota una colit.* Vien. I. Mag. Frob. Samb. Par. *Urbs ſiquidem quem tota colit.* Cant. Opor.

492. *Tanain*] *Tanaim*, omnes. Ibid. *quicquid diſcedunt*] (Vid. Claud. in Eutr. L. I. v. 196. et de Bello Gild. v. 159.) *quantum diſcedant*, omnes.

497. *morbisve modus*] ſic MS. R. C. *pacive modus*, omnes editi.

499. *Mortales*] Samb. Par. *Mortaleis*, cet. omnes.

505. *Agreſtes*] Samb. Par. *Agrestis*, Mag. *Agreſteis*, ceteri.

516. *annales*] Samb. Par. *annalis*, Mag. *annaleis*, ceteri.

522. *Syllaba uti nullum, tenuis vel*] ſic MS. R. C. *Syllaba vel nullum ut tenuis vel.* editi omnes.

527. *auctor*] *author*, omnes.

532. *Nec ſe a principils*] ſic MS. R. C. *Nec ſe principiis*, editi omnes.

538. *celet*] ſic Opor. *coelet*, Samb. Par. *caelet*, Mag. Frob. Cant.

545. *habitaſve notent*] *nocent*, Mag. Samb. Par. *vocent*, Frob. Cant. Opor.

560. *Phlegethon*] ſic Par. *Phlegeton*, ceteri.

562. *Nec Smyrnaea*] ſic cet. *Per Smyrnaea*, Frob. Cant. Ibid.

belle]

belle] ſic editi; *belli*, MS. R. C.

563. *Siren*] ſic Par. *Syren*, ceteri omnes. Ibid. *Titania*] ſic MS. R. C. *Tytanida*, vel *Titanida*, omnes editi.

564. *Chimaerae*] ſic Opor. *Chymerae*, ceteri.

566. *Gradivus*] *grandaevus*, vel, *grandevus*, omnes.

575. *balaena*] ſic cet. *balena*, Frob. Cant.

577. *Acin Galatea*] *Acim Galathaea*, omnes. Ibidem: *Achillen*] *Achillem*, omnes.

578. *Nec plus*] ſic Par. *Nec pius*, omnes alii.

580. *Proteus*] *Protheus*, omnes. Ibid. *ſtat vultu*] ſic MS. R. C. *ſtat motu*, omnes editi.

581. *Nec vitaſſe*] ſic MS. R. C. Vien. I. Mag. Samb. *Nec mutaſſe velit mutantia*, Frob. Cant. Opor.

595 *omnes*] Samb. Par. *omnis*, Mag. *omneis*, ceteri.

598. *pretium*] *precium*, omnes.

608. *Ad pingues*] ſic Samb. Par. *Ad pinguis*, Mag. *Ad pingveis*, Frob. Opor. *Ac pingveis*, Cant.

609. *aſtris mirantibus*] ſic MS. R. C. Vien. I. Mag. Samb. Par. *aſtris vincentibus*, Frob. Cant. Opor.

616. *aeditimos*] ſic MS. R. C. Mag. Samb. Par. Frob. *aedituos*, Cant. Opor. Ibid. *fas eſt*] ſic Par. *phas eſt*, ceteri.

628. *Siccave Cyrene*] *Sicave*, Samb. Par. *Sicana*, Mag. Frob. *Sycana*, Cant. Opor.

644. *Facius*] *Fatius*, Samb. Par. *Satius*, ceteri omnes.

652. *Mnemonidas*] ſic Samb. Par. *Mnemoſidas*, reliqui.

653. *Primus Nyſaeos*] *Niſaeos*, MS. R. C. Samb. Par. *Primus ego Niſae*, Mag. Frob. Cant. Opor. Ibid. *corymbos*] Frob. Cant. Opor. *chorymbos*, Mag. *chorimbos*, Samb. Par.

657. *Inſiſtens Lunae*] ſic Cant. Opor. Samb. Par. *Inſiſtens Lunam*, Mag. Frob.

661. *asſimulans*] *asſimilans*, omnes.

662. *Bis ſenae*] *Bisſena*, omnes.

664. *Omnis ibi*] MS. R. C. *omnis et*, editi.

678. *Turcorum*] ſic MS. R. C. Samb. Par. *Turcarum*, ceteri.

679. *cumulis, ſcit*] ſic MS. R. C. *tumulis ſtet*, editi omnes.

682. *qua posſum*] ita MS. R. C. Samb. Par. *qua posſim*, alii.

684. *annive quies*] ſic Mag. Frob. Cant. Opor. Samb. Par. *animaeve quies*, MS. R. C.

690. *Caprive diebus*] *cancrive diebus*, omnes.

692. *Adrodis*] ſic Samb. Par. *Abrodis*, ceteri.

701. *juvenatur*] ſic MS. R. C. Samb. Par. *venatur*, Mag. Frob. Cant. Opor.

705. *pectore ab uno*] ſic omnes editi; *ab imo*, MS. R. C.

713. *Euchius*] ſic Mag. Frob Samb. *Eubius* Cant. Opor. *Euius*, Par.

729. *pueriles*] ſic Mag. Samb. Par. *puerileis*, ceteri.

735. *pumice laevis*] Frob. Cant. Opor. *laenis*, Mag. Samb. Par.

738. *quîs tantum*] ſic Mag. Cant. *queis*, ceteri.

739. *Auctorem*] Frob. Cant. Opor. *Auctorum*, Mag. Samb. Par.

748. *brumales*] Mag. Samb. Par. *brumaleis*, ceteri.

754. *Cadmea*] *Cadmaea*, omnes.

756. *Corinthon*] *Corinthum*, omnes.

759. *rudes*] Mag. Samb. Par. *rudeis*, ceteri.

769. *Auctorum*] Mag. Samb. Par. *Autorum*, Frob. Cant. Opor. Ibid. *mentes*] Samb. Par. *mentis*, Mag. *menteis*, reliqui.

776. *triſtes*] Samb. Par. *triſtis*, Mag. *triſteis*, ceteri omnes.

782. *Viventes*] Mag. Samb. Par. *Viventeis*, Frob. Cant. Opor.

792. *Poggius unus*] Samb. Par. *uno*, Mag. Frob. Cant. *una*, Opor.

795. *Philelſus*] *Philelphus*, omnes.

797. *Vergerius*] ſic ceteri; *Vegetius*, Mag. Ibid. *Hiſtros*] ſic Samb. Par. Mag. *Iſtros*, ceteri.

799. *millibus*] ſic Par. *milibus*, ceteri omnes.

809. *nefandis*] ſic Samb. Par. *nephandis*, ceteri.

811. *amantes*] Mag. Samb. Par. *amanteis*, Frob. Cant. Opor.

817. *trepidae - ruber impetus*] ſic Frob. Cant. Opor. *rubor*, Vien. l. Mag. Samb. Par.

829. *Tiro*] *Tyro*, omnes.

830. *ſtrinxiſſe Lacones*] ſic MS R. C. *ſtruxiſſe*, editi omnes.

841. *Sirius*] ſic Opor. Par. *Syrius*, ceteri.

843. *mentes*] Samb. Par. *mentis*, Mag. *menteis*, reliqui.

849. *genitore canoro*] Frob. Cant. Opor. *canora*, Mag. Samb. Par.

857.

857. *Paron*] MS. R. C. Vien. I. Mag. Samb. Par. *Pharon*, Frob. Cant. Opor.

859. *Nec populare plait rapiendos miſſile*] ſic MS. R. C. *Nec populare placet rapiendos mittere nummos*, editi omnes.

862. *capiunt*] ſic MS. R. C. *carpunt*, editi omnes.

863. *mentes*] Samb. Par. *mentis*, Mag. *menteis*, reliqui.

866 *omnes*] Mag. Samb. Par. *omneis*, Frob. Cant. Opor.

875. *laedentia*] ſic Cant. Opor. Samb. Par. *ledentia*, Mag. Frob.

894 *hic omnes*] ſic MS. R. C Samb. Par. *hic unus*, Mag. Frob. Cant. Opor.

911 *Nec quenquam*] Opor. Samb. Par. *Nec poſtquam*, Mag Frob. Cant.

915. *catena*] *cathena*, omnes.

927. *omnes*] ſic MS. R. C. *omnis*, alii.

928. *licet Attinem*] ſic Samb. Par. *Actinem*, MS. R. C. *licet hunc Atym*, Mag. Frob. Cant. Opor. Ibid. *Adonin*] *Adonim*, omnes.

929. *Mithran*] *Mythram*, omnes.

930. *Oſirin*] *Oſyrim*, omnes. Ibid *Tegeé*] ſic Opor. Samb. Par. *Tegeae*, Mag. Frob. Cant.

949. *Parnaſus*] ſic Mag. Frob. Cant Opor. *Parnaſſus*, Samb. Par.

958. *Improcera ferunt hebetes*] *In procera f. hebetis*, Mag. Samb. Par. *hebeteis*, Frob. Cant. Opor.

961. *nefandos*] ſic Par. *nephandos*, ceteri.

974. *rigui, per amoena*] ſic Mag. Samb. Par. *peramoena*, Frob. Cant. Opor. Ibid. *fontes*] *fontis*, omnes.

977. *Phryxea*] *Phryxaea*, omnes. Ibid. *Turcos*] ſic Mag. Frob. Samb. Par. *Turcas*, Cant. Opor.

992. *exangues*] Mag. Samb. Par. *exangueis*, Frob. Cant. Opor.

995. *nubila*] ſic Vien. I. Samb. Par. *nebula*, ceteri omnes.

996. *Cirrhaeo*] *Cyrrhaeo*, omnes.

1004. *recentes*] Mag. Samb. Par. *recenteis*, reliqui.

1008. *exultantes*] Mag. Samb. Par. *exultanteis*, ceteri.

1012. *ſedentes*] Mag. Samb. Par. *ſedenteis*, ceteri.

1014. *perſpicuum*] Cant. Opor.

Samb.

Samb. Par. *proſpicuum*, Mag. Frob.

1015. *barathrum*] *baratrum*, omnes.

1020. *ſimiles*] Mag. Samb. Par. *ſimileis*, Frob. Cant. Opor.

1031. *Dearum*] *deorum* MS. R. C.

1036. *age deterſo*] ſic MS. R. C. Samb. Par. *agite exterſo*, Mag. Frob. Cant. Opor.

1038. *rapiſſe*] Mag. Frob. Cant. Opor. *rapuiſſe*, Samb. Par. Ibid. *fides*] Samb. Par. *fidis*, Mag. *fideis*, reliqui.

1050. *auctorem*] Mag. Samb. Par. *autorem*, ceteri. Ibid. *Brennum*] ſic, Samb. Par. *Bernum*, ceteri omnes.

1058. *genialia*] ſic Mag. Frob. Cant. Samb. Par. *genitalia*, Opor.

1062. *Ilithyia*] ſic Opor. *Ilythia*, Mag. Frob. Samb. Par. *Ilythila*, Cant. *Ilithia*, Vien. I.

1064. *Maenalia*] Opor. Samb. Par. *Menalia*, ceteri. Ibid. *ſalientes*] *ſalientis*, Mag. Samb. Par. *ſalienteis*, reliqui.

1066. *Ludentes*] ſic Mag. Samb. Par. *ludenteis*, Frob. Cant. *laudanteis*, Opor.

1071. *Hyanteos*] *Hiantheos*, Samb. Par. *Iantheos*, Mag. Frob. Cant. Opor. Ibid. *amnes*.] ſic Samb. Par. *amnis*, Mag. *amneis*, ceteri omnes.

AD PANEGYRICUM II. MARCELLO DICATUM.

Titulus panegyrici: *Ioannis Pannonii Epiſcopi Quinque Eccleſienſis, poëtae et oratoris clariſſimi, panegyricus Iacobo Antonio Marcello Patricio Veneto.* Item: *Ioannis Pannonii panegyricus, Iacobo Antonio Marcello Veneto.* Volph. *Iani Pannonii Quinque Eccleſienſis Epiſcopi ad Iacobum Antonium Marcellum Venetum panegyricus.* Item: *Ioannis Pannonii panegyricus Iacobo Antonio Marcello Veneto.* Cant. *Iani Pannonii ad Iacobum Antonium Marcellum Venetum panegyricus.* Opor. *Ejuſdem Ioannis Pannonii panegyricus Marcellinus.* Samb. *Iani Pannonii Panegyricus II. Marcellinus.* Par.

PRAEFATIO.

V. 4. *Maecenas*] *Mecoenas*, Volph. Cant. Opor. Samb. *Mecenas*, Par.

32. *hoſpitiis*] ſic Opor. *hoſpiciis*, ceteri.

43. *meruit*] ſic Volph. *metuit*, Cant. Opor. Samb. Par. Ibid. *favores*] ita Volph. *favorem*, ceteri omnes.

47. *conjux*] *conjunx*, omnes.

48. *Hic*] omnes ita, ſed ſ. leg. *Haec*.

PANEGYRICUS.

V. 2. *olores*] ſic ceteri; *holores*, Volph.

33. *pueriles*] ſic ceteri; *puerilis*, Volph.

34. *levibus ne jam amplius inſtrepe*] ſic Volph. *levibus non amplius inſtrepe*, ceteri omnes.

37 *Te ſecli*] ſic cet. *Tu ſecli*, Volph.

39. *neſcit*] ſic alii; *neſtit*, Volph.

60. *Pellaei*] ſic cet. *Pelaei*, Samb. Par.

63. *artes*] ceteri; *artis*, Volph.

72. *pulſantes*] ita cet. *pulſantis*, Volph.

73. *Cedit*] ſic Opor. Samb. Par *Caedit*, ceteri.

76. *ſulcantes*] alii; *ſulcantis*, Volph. Ibid. *Caerula*] *Cerula*, omnes

77. *arces*] ſic ceteri; *arcis*, Volph.

89. *celat*] Opor. *caelat*, ceteri.

98. *cominus*] Volph. *comminus*, ceteri.

106. *aequaevis*] Opor. Samb. Par. *aequevis*, alii.

111. *farta*] Volph. *facta*, ceteri.

113. *urbes*] ſic ceteri; *urbis*, Volph.

116. *Conditor huic*] Volph. Cant, Samb. Par. *conditor hic*, Opor.

125. *concrevit*] Volph. Opor. Cant. *decrevit*, Samb. Par.

139. *ſtirpes*] ita ceteri; *ſtirpis*, Volph.

146. *tropaeis*] *trophaeis*, omnes.

158. *Lycurgus*] ſic alii; *Licurgus*, Volph.

162. *toties*] ſic alii; *totiens* Volph.

171. *auctor*] ſic Volph. *autor*, ceteri.

186. *quoties*] ſic ceteri; *quotiens*, Volph.

189. *Vlixes*] Volph. *Vlyſſes*, ceteri.

192. *Vlixen*] *Vlixem*, Volph. *Vlyſſem*, ceteri.

197. *nedum indeprenſus*] ſic Volph. *nedum deprenſus*, ceteri.

208. *Iam certe poſitis amicit me purpura bullis*] ſic in omnibus; ſed forte, pro: *amicit me*, legendum: *ceſſit mihi*, vel pro: *me*, leg. *nec*.

212. *Macedon*] Volph. Opor. Samb. Par. *Macedum*, Cant.

217.

217. *adſcribit*] ceteri; *aſcribit*, Volph.

218. *promittant*] Volph. *promittunt*, ceteri.

223. *faſtigia*] Volph. Cant. Samb. Par. *veſtigia*, Opor.

234. *Nabathaea*] *Nabataea*, omnes.

239. *ſubducit*] Volph. *ſubduxit*, ceteri.

251. *ſepulcrum*] *ſepulchrum*, omnes.

252. *tura*] *thura*, omnes

264 *meſſes*] ſic alii; *meſſis*, Volph.

275. *Oſirin*] *Oſirim*, omnes.

304. *Menelaei*] *Menelaaei*, omnes.

308. *Adonin*] *Adonim*, omnes.

317. *Thetin*] *Tethim*, Volph. Cant. Samb. Par. *Tethyn*. Opor.

327. *Vlixen*] ſic Volph. *Vlyſſem*, ceteri omnes.

329. *Cepere*] *Coepere*, omnes. Ibid. *Sirena*] Volph. Cant. Opor. *Syrena*, Samb. Par.

364. *nubes*] ſic alii; *nubis*, Volph.

377. *inertes*] ſic ceteri; *inertis*, Volph.

392. *Trygon*] *Trigon*, omnes.

393. *biantes*] ſic alii; *biantis*, Volph.

396. *Loligo*] *Lolligo*, omnes.

397. *Exocoetus*] *Ocxocetus*, omnes.

400. *exertantes*] ſic Samb. Par. *exertantis*, ceteri omnes.

402. *Palaemon*] ſic ceteri; *Palemon*, Volph.

407. *Piſtres*] *Piſtris*, omnes.

408. *balaenis*] Samb. Par. *ballaenis*, ceteri.

417. *latrantes*] *latrantis*, omnes.

436. *Thyles*] ſic Volph. *Thules*, ceteri.

500. *acclinem*] *acclivem*, omnes.

512. *fortes*] *fortis*, omnes.

518. *cepit*] *coepit*, omnes.

519. *toties*] ſic alii; *totiens*, Volph.

523. *Hiſtris*] ſic Volph. *Iſtris*, ceteri.

534. *mentes*] ceteri; *mentis*, Volph.

538. *numis*] ſic Volph. Opor. Cant. *nummis*, Samb. Par.

546. *Concio*] Opor. Par. *Contio*, ceteri.

560. *lacrymis*] *lachrimis*, omnes.

570. *triſtes*] ſic ceteri; *triſtis*, Volph.

582. *quo*] ſic alii; *quae*, Opor.

597. *rubentes*] ceteri; *rubentis*, Volph.

608. *Tranſabilt*] alii; *Tranſillit*, Opor.

611. *toties*] ita ceteri; *totiens*, Volph.

613. *vitro ſine*] *intro ſine*, Volph. *tuto audax*, ceteri.

619. *puppim*] *puppem*, omnes.

635. *Quirites*] ſic alii; *Quiritis*, Volph.

652

652. *faſces*] ceteri; *faſcis*, Volph.
654 *tironis*] *tyronis*, omnes.
658. *artat*] ſic Volph. *arctat*, ceteri omnes.
670. *ſteriles*] *ſterilis*, Volph.
671. *placidi*] Volph. Cant. Samb. Par. *placida*, Opor.
707. *Conſummarat*] ſic Opor. *Conſumarat*, alii omnes.
709. *oloriferum*] *holoriferum*, Volph. Ibid. *millibus*] ceteri; *milibus*, Volph.
713. *virides*] ſic ceteri; *viridis*, Volph.
727. *dentes*] ceteri; *dentis*, Volph.
738. *menſes*] alii; *meſſis*, Volph.
745. *Mucius*] Volph. Cant. *Mutius*, Opor. Samb. Par.
774. *Benaci*] *Baenaci*, omnes.
777. *Millia*] *Milia*, omnes.
780. *hoſtes*] ſic ceteri; *hoſtis*, Volph.
782. *Tegeaea*] ſic Volph. *Tegaea*, omnes alii.
792. *Rhaetica*] *Rhetica*, omnes.
793. *ducendi*] ſic ceteri; *ducenti*, Opor.
802. *incredibiles*] alii; *incredibilis*, Volph.
806. *aures*] ſic alii; *auris*, Volph. Cant. Opor.
835. *fontes*] ceteri; *fontis*, Volph.
858. *Peneda*] *Poeneda*, omnes.
863. *Athefis*] *Ateſis*, omnes.
864. *quîs*] ſic Volph. *queis*, ceteri.
875. *valles*] ceteri; *vallis*, Volph.
878. *Napaeae*] *Napeae*, omnes.
884 *Lilys*] ſic ceteri; *Libis*, Volph.
885 *putruere*] alii; *putuere*, Opor.
891. *advexam*] ſic omnes; f. leg. *adnexam*.
897. *Flagitet*] ſic Volph. Cant. Opor. *Flagitat*, Samb. Par.
899. *Typhoëus*] *Typhoeus*, omnes.
907. *ruerent*] Volph. *rueret*, ceteri omnes.
916. *ingenti*] *ingentis*, Volph.
920. *Symplegas*] ſic Opor. *Simplegas*, alii. Ibid. *alternos*] ceteri; *alternis*, Opor.
923. *Naïdes*] ſic ceteri; *Naiades*; Opor.
924. *fluitant in*] ſic Volph. *fluitarunt*, ceteri.
932. *funes*] *funis*, ſolus Volph.
946. *Letiferas*] Volph. *Lethiferas*, ceteri.
956. *ſcandentes*] ita ceteri; *ſcandentis*, Volph.
965. *Benacia*] *Baenatia*, Volph. *Baenacia*, ceteri.
979. *narent*] *natent*, Volph. Cant. Opor. *natitent*, Samb. Par.
990. *Ateſte*] ſic Volph. *Areſte*, ceteri.
991. *Mons Silicis, piger*] ſic Volph.

Mons

Mons Sicilis, *piget*, ceteri omnes.

1006. *tropaea*] *trophaea*, omnes.

1021. *Brenne*] *Breme*, omnes.

1033. *Artarum*] ſic Volph. *Arctarum*, ceteri omnes.

1035. *Alpes*] ceteri; *alpis*, Volph.

1037. *Candinis*] *Candinis*, Volph.

1053. *montes*] reliqui; *montis*, Volph.

1055. *Sarca*] *ſacra*, Opor.

1056. *Tantus*] ſic ceteri; *Tempus*, Opor.

1068. *ceperat*] *coeperat*, omnes.

1075. *Latiae*] ſic Volph. *Lariae*, ceteri omnes.

1077. *tales*] ſic alii; *talis*, Volph.

1078. *quis*] ita Volph. *queis*, ceteri omnes.

1081. *millia*] ſic alii; *milla*, Volph.

1090. *alios*] ſic ceteri; *alio*, Volph.

1093. *labantem*] ceteri; *labentem*, Opor.

1117. *turres*] ita alii; *turris*, Volph.

1120. *capeſſit*] *capeſcit*, omnes.

1130. *chlamys*] ſic ceteri; *chlamis*, Volph.

1133. *ſequuntur*] alii; *ſecuntur*, Volph.

1139. *omnes*] ceteri; *omnis*, Volph.

1161. *nocentes*] ſic alii; *nocentis*, Volph.

1165. *Gangaridum*] ſic ceteri; *Gargaridum*, Opor.

1192. *Patriarcham*] alii; *Patriatchum*, Opor.

1194 *adicit*] ſic Opor. *adiicit*, alii.

1221. *plures*] ſic ceteri; *pluris*, Volph.

1255. *petentes*] *petentis*, omnes.

1268. *vocantes*] ſic ceteri; *vocantis*, Volph.

1275. *acres*] ita alii; *acris*, Volph.

1277. *ſecures*] *ſecuris*, Volph.

1296. *quoties*] *quotiens*, Volph.

1307. *millibus*] *milibus*, omnes.

1310. *ſuſurru*] ſic Volph. *ſuſurro*, ceteri omnes.

1324. *artes*] ita alii; *artis*, Volph.

1335. *Therapnaeo*] *Theraphnaeo*, omnes.

1338. *maritales*] ſic alii; *maritalis*, Volph.

1339. *geniales*] ceteri; *genialis*, Volph.

1346. *ille*] ſic ceteri; *illa*, Opor.

1379. *quoties*] *quotiens*, Volph.

1384. *faſces*] *faſcis*, Volph.

1418. *permiſſa*] ſic Volph. Cant. Opor. *promiſſa*, Samb. Par.

1435. *partes*] ſic ceteri; *partis*, Volph.

1439. *peritura*] ſic Volph. *petitura*, ceteri omnes.

1441. *periclum*] ita ceteri; *periculum*, Opor.

1470. *exanimus*] ita Volph. *exanimis*,

mit, ceteri omnes.

1490. *jacientes*] alii; *jacientis*, Volph.

1496 *ſpumantes*] *ſpumantis*, Volph.

1501. *omnes*] ſic ceteri; *omnis*, Volph.

1504. *revocantis*] ita alii; *revocantes*, Opor.

1508. *Naïdes*] ceteri; *Naiades*, Opor. Par.

1517. *abſciſo*] alii; *abſcisſo*, Par.

1526. *Inſolidum*] *Inſolidum*, Volph. *Inſolitum*, Cant. Opor. Samb. Par.

1527. *denſis*] ſic ceteri; *ſentis*, Volph.

1529. *Cum non attonitis ſi res foret*] ita Volph. *Cum non attonitus* (*ſi res foret*) Cant. Opor. Samb. Par.

1530. *artis*] ſic Volph. *arctis*, omnes alii.

1533. *ſurgebant*] ita Volph. Cant. Opor. *ſurgebat*, Samb. Par.

1539. *propellentes*] *propellentis*, omnes.

1540. *Cedentes*] *Cedentis*, Volph. *Caedentis*, ceteri.

1572. *tropaeis*] *trophaeis*, omnes.

1579. *menſurna*] ſic Volph. *menſura*, reliqui omnes.

1581. *Mente*] ſic ceteri; *Monte*, Opor.

1582. *Atheſin*] *Ateſim*, omnes ſemper.

1583. *Addua*] ſic alii; *Adua*, Volph.

1597. *naves*] reliqui; *navis*, Volph.

1600. *Letiferi*] ſic Volph. *Lethiferi*, ceteri.

1601. *redeant*] ſic alii; *rideant*, Samb. Par.

1609. *negantes*] *negantis*, Volph.

1622. *Halys*] *Alis*, omnes.

1631. *hoſtes*] ſic alii; *hoſtis*, Volph.

1666. *Tranſiit*] ſic ceteri; *Tranſit*, Opor.

1678. *virides*] *viridis*, Volph.

1681. *ſeditio*] *ſedicio*, Volph.

1701. *tumidas*] ſic alii; *timidas*, Opor.

1708. *propior*] ceteri; *proprior*, Opor.

1715. *clauſus*] *clauſis*, omnes.

1723. *Hinc*] ſic Volph. Cant. Opor. *Hic*, Samb. Par.

1725. *Quis tot mollitus*] ita Cant. Opor. Samb. Par. *molitus*, Volph.

1726. *toties*] ſic ceteri; *totiens*, Volph.

1728. *Poplicolas*] *Publicolas*, omnes.

1730. *ſubtemine*] *ſubtegmine*, omnes.

1766. *Obſidis*] ſic Volph. *Obſideas*, ceteri omnes.

1773. *trementes*] ſic ceteri; *trementis*, Volph. 1777.

1777. *Ligns*] ſic Volph. Cant. Opor. *Ligur*, Samb. Par.

1789. *vites*] ſic alii; *vitis*, Volph.

1797. *acervi*] ſic ceteri; *acerni*, Samb. Par.

1800. *profanat*] ceteri; *profanans*, Volph.

1809 *populus*] ſic alii; *populos*, Volph.

1822. *Nurſinae*] ſic omnes; ſed forte legendum: *Murcinae*.

1826. *percuſſum*] ſic alii; *percuſſa*, Opor.

1861. *letum*] Volph. *lethum*, alii omnes.

1883. *quoties*] *quotiens*, ſolus Volph.

1885. *falarica*] *phalarica*, omnes.

1898. *Theudoſium*] *Theodoſium*, omnes.

1916. *viles*] ceteri; *vilis*, Volph.

1917. *Prorſus et armifero*] ſic alii; *Prorſus armifero*, Opor.

1919. *incalleſcere*] ſic Volph. *incaleſcere*, omnes alii.

1934. *millibus*] *milibus*, Volph. Samb.

1993. *tales*] ſic alii; *talis*, Volph.

2001. *Calcans*] *Palpans*, omnes.

2002. *quoties*] *quotiens*, Volph.

2003. *toties*] *totiens*, Volph.

2015. *ceperat*] *coeperat*, omnes, et ſic quoque v. 2016.

2026. *tenent*] *tentant*, omnes.

2029. *Valtolina*] *Voltolina*, Volph. Cant. Opor. *Voltalina*, Samb. Par.

2050. *toties*] *totiens*, Volph.

2129. *pontes*] ſic ceteri; *pontis*, Volph.

2188. *ſecuto*] ſic Volph. *ſecuro*, ceteri.

2196. *diri*] ita Volph. *Diti*, omnes alii.

2213. *Letiferum*] Volph. *Lethiferum*, ceteri.

2228. *Teſtes*] ſic alii; *Teſtis*, Volph.

2230. *toties*] *totiens*, Volph.

2240. *ſtantes*] ceteri; *ſtantis*, Volph.

2245. *Aſtraea*] *Aſtrea*, omnes.

2256. *Hic olim*] ſic Volph. *Sic olim*, ceteri.

2280. *poſtes*] alii; *poſtis*, Volph.

2292. *Vitta focis, pepulere deas*] *Vita focis, pepulere deam*, omnes.

2293. *ignes*] *ignis*, Volph.

2314. *cohortes*] *cohortis*, Volph.

2320. *enſes*] ſic ceteri; *enſis*, Volph.

2329. *Letale*] Volph. *Lethale*, ceteri.

2334. *tiro*] *tyro*, omnes.

2346. *Thaddaeo*] *Thadaeo*, omnes.

2347.

2347. *Exerti*] omnes alii; *Experti*, Opor.

2349. *Hortantes*] *Hortantis*, Volph.

2369. *miles non impiger*] ſic omnes; ſed forte legendum: *ſatis* pro, *non*.

2381. *decerni*] ſic alii; *decernis*, Volph.

2387. *rubentes*] *rubentis*, Volph.

2472. *Iudicio*] *Indicio*, omnes.

2484. *truces*] *trucis*, Volph.

2498. *Caravagia*] ſic Volph. *Ceravagia*, ceteri omnes.

2507. *Epaminondae*] *Epaminundae*, omnes.

2544. *omnes*] *omnis*, Volph.

2546. *quod multi*] *quam multi*, omnes.

2564. *faſces*] *faſcis*, Volph.

2586. *Quod prior*] *Quam prior*, omnes.

2588. *donet*] *donent*, omnes.

2591. *tales*] *talis*, Volph.

2592. *cepisſet*] *coepisſet*, omnes.

2614. *Flaminium*] *Flamminium*, omnes.

2627. *concors tam*] *concors jam*, omnes.

2642. *arta*] ſic Volph. *arcta*, ceteri.

2647. *Crema*] ſic ceteri; *Cremma*, Volph.

2649. *rexit*] ſic Volph. *texit*, ceteri.

2655. *Gaeſiſeris*] *Geſſiſeris*, omnes.

2679. *Quirites*] ſic alii; *Quiritis*, Volph.

2691. *Symaethe*] *Simete*, omnes.

2707. *gaeſa*] *geſſa*, omnes.

2708. *Romuleo*] ſic Volph. *Romulio*, ceteri.

2713. *Eliſſae*] ſic Volph. Samb. *Elysſae*, Opor.

2733. *calcandas*] *calcatas*, omnes,

2749. *Chunus*] *Hunus*, Volph. *Hunnus*, ceteri.

2757. *nocentes*] *nocentis*, Volph.

2766. *Quis*] ſic Volph. *Queis*, ceteri.

2778. *quis*] ſic Volph. *quae*, omnes alii.

2795. *qua*] *quae*, omnes.

2816. *gentes*] *gentis*, Volph.

2818. *Quem Vaticanae profugum*] ſic Volph. *Quem Vaticanae tunc profugum*, Cant. Samb. Par. *Vaticanae quem tunc profugum*. Opor.

2825. *Tarteſſia*] *Tarteſia*, omnes.

2827. *Boſporiae*] *Boſphoriae*, omnes.

2842. *faſces*] *faſcis*, Volph.

2850. *Virdumari*] *Virromari*, omnes.

2870. *Ledae*] ſic Volph. *Laedae*, ceteri.

2871. *veſter*] ſic Volph. *veſtrae*, ceteri omnes.

CARMEN AD FRIDERICUM III. IMPERATOREM.

